In cubiculo J. Prof. Rhet. [illegible]



John Carter Brown
Library
Brown University

1.25

Collegij Soc.tis Jesu Neoburgi 1726.

# COLUMBUS
## CARMEN EPICUM

*Eminentiſſimo & Reverendiſſimo*

PRINCIPI

BENEDICTO

PAMPHILIO

DICATUM.

*AUTHORE*

UBERTINO CARRARA,

SOCIETATIS JESU.



*Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæſ. Regiæque Cathol. Majeſtatis, & Superiorum Permiſſu.*

AUGUSTÆ,

Sumptibus Mathiæ Wolff, Bibliopolæ.

ANNO M. DCCXXX.

# FACULTAS
# R. P. PROVINCIALIS
*CUM*
## PRIVILEGIO CÆSAREO.

Cùm Dominus Mathias Wolff, Bibliopola Auguſtanus, typis vulgare deſideret Librum, cui Titulus *Columbus Carmen Epicum*, Authore UBERTINO CARRARA, Societatis JESU. Ego MAGNUS AMMAN, Societatis JESU per Superiorem Germaniam PRÆPOSITUS PROVINCIALIS, Poteſtate ab Adm. Rev. Patre Noſtro MICHAELE ANGELO TAMBURINO, Societatis Noſtræ PRÆPOSITO GENERALI mihi conceſſa, eidem Domino ad primam duntaxat Editionem Facultatem impertio, ſimúlque communico PRIVILEGIUM CÆSAREUM, quo aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum Librum citra Conſenſum Superiorum vel recudere, vel intra fines Imperii, & Hæreditarias Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Provincias inferre præſumant. In cujus rei fidem has litteras manu mea ſubſcriptas, & conſueto Officii Sigillo munitas dedi. Monachii 5. Januarii, 1730.

(L. S.) MAGNUS AMMAN.

# ARGUMENTUM HISTORICUM,

*SEU*

# VITA CHRISTOPHORI COLUMBI

IN

*COMPENDIUM REDACTA.*

CHriſtophorus Columbus, invidioſum illud Græcorum Argonautis nomen, gente Ligur, primam lucem aſpexit in vico haud procul Saona Sito, Arbizolum incolæ dicunt; quem cæterà obſcurum, nulláque re ad poſteritatis memoriam inſignem, ſuis ille natalibus abunde nobilitavit. Is è prima vixdum pueritia egreſſus, magno artis nauticæ tenebatur ſtudio: Hinc Geographiæ & Aſtronomiæ applicuit animum, ex quarum diuturno uſu, obſervatis præcipuè ſtatis Syderum motibus, quos ad antiquorum monumenta exigere ſolebat, eam denique ſcientiam hauſit, ut ſibi haberet perſuaſiſſimum, trans noti orbis terminos, magna terrarum ſpatia hactenus ignota, etiam in Occidentem patere: Dein experiendi & cognoſcendi ſtudio, quòd ſine magno apparatu res tanta tentari non poſſet, Luſitano ante omnes Regi eam expeditionem ſuadere conatur, ſuámque in id negotium operam enixè defert. A quo rejectus, tanquam inania & fabuloſa afferret, ad finitimum Caſtellæ Regem Ferdinandum eodem conſilio ſeſe confert. Ibi cùm nihilo magis audiretur, invicta quadam animi pertinacia integrum ſeptennium urgendo inſtandóque tum ſuis, tum amicorum precibus perduravit, donec aliquando evinceret, ut in eam inquiſitionem tria ſibi Regiis ſumptibus adornata navigia ad Hiſpalin oræ Bæticæ præberentur.

Cum iis Anno Milleſimo Quadringentiſimo Nonageſimo Secundo Gadibûs, ineunte Auguſto in Atlanticum Oceanum egreſſus, feliciſque curſu 250. Leucas Hiſpanicas emenſus, Inſulam *Palmam* (quæ ex *Fortunatis* una eſt) incolumis attigit: Inde *Canarias* prætervectus, triginta trium dierum ſpatio immenſum perluſtrabat Oceanum, quin terræ, aut humani cultûs veſtigium appareret. Igitur Socios nautáſque ingens primùm trepidatio inceſſit, tum & apertè tumultuantium voces audiri cæptæ: *Extra Solis mundique terminos cœlo invito ſeſe trahi*, querebantur, *ipſam utique deficere naturam, jam nec Sydera priſtinum ſervare curſum, nil niſi vaſtum occurrere Oceanum, iter ex itinere ſine ullo fructu naſci, antiquum à ſe perdi mundum, dum quærerent novum, unius hominis jactationi opes propemodum Regias, vitam, Salutémque ſuam impendi.* Jam prope Seditionem res erat, cùm ad omnia interritus Columbus, ùt erat animi difficultatibus obluctantis erigere torpentes, hortari obteſtaríque per Regis ſui gloriam cæpit, *ne ſe pulcherrimo in opere, & in limine gloriæ jamjam conſtitutum deſtituerent, ne illam ſibimet inviderent in poſterorum animis famam, inventos eſſe viros, qui orbem per tot Sæcula latentem ſuis è tenebris eruiſſent, Hiſpanúmque feciſſent. Adfore brevi finem laboris omnibus votis expetitum. Nihil gloriæ, nihil virtuti eſſe invium, ſine ullo Martis diſcrimine, ſine Sanguinis impendio orbem terrarum ab iis capi poſſe. Incumberent modò remis, ſpondere ſe intra triduum glorioſas novo in litore plantatum iri Anchoras.* Neque hæc jactantiùs quam veriùs dicebat, quippe tertia, quàm proceſſerant, die nondum in veſperam inclinante, Inſula (*Guanabay* dicunt) in conſpectum venit; in eam exſcenſione facta cùm incultam ac ſterilem reperiſſent, erecta prægrandi cruce orbem hactenus ignotum Hiſpanæ pietati inaugurârunt. Inde provectus cum Sociis Columbus Inſulas aperuit novas, quas, quòd primæ occurriſſent *Principes* appellavit, earum maximæ (quam Barbaro vocabulo Hayti appellabant) ad perpetuum Hiſpanæ potentiæ monimentum Hiſpaniolæ nomine impoſito. Verùm & hic inter Socios nautáſque longioris viæ pertæſos ſubita conſternatione exorta, cùm illi miſſionem in Patriam ſeditioſis etiam vocibus urgerent, prima hac quidem expeditione contentum eſſe oportuit inſatiabilem orbíſque gemini capacem Columbi animum. Quare arce

lignea,

lignea, uti fors & tempus ferebat, celeritate, quanta fieri potuit, maxima, ibi erectâ, caſtra communiit, impoſitóque quadraginta duorum, nec amplius militum præſidio in Patriam revertitur, plantato etiam hoc novo in ſolo Salutis noſtræ trophæo. Et opimam profectò mercedem Religioſa Herois tanti pietas à cœlo tulit; quippe & aurifodinam invenit, è qua opes immenſas, & quantas Europa univerſa vix caperet, Hiſpana poſthac erueret potentia. Ille quidem immanem auri vim, rem Barbaris hactenus viliſſimam, quippe cujus pretium ignoraverant, ad Ferdinandum in Patriam revehebat, adlectis duodecim Inſulæ ejusdem incolis, quos in inventi orbis teſtimonium veluti in Triumphum ſecum ducebat. Ea res, quò magis erat inexſpectata, eò majorem Ferdinando Regi, Aulæque illius univerſæ attulit voluptatem. Quare piiſſimus Rex, cui nomen *Catholici* ob eximia in DEI Eccleſiam merita ceſſit, novi ut orbis primitias illius Creatori conſecraret, ex allato auri pondere viginti Coronatorum millia Toletano templo Regiâ ſanè munificentiâ dono dedit, æquali Summa ad Alexandrum Sextum Pontificem transmiſſa. Ut verò & ſua Columbo merces cederet, eum præprimis magnificentiſſimo Hiſpanarum claſſium Archithalaſſi titulo condecoravit Ferdinandus, inſertis ſcuto illius gentilitio geminis maribus, quorum alterum colore cæruleo, alterum argenteo diſtinguebatur, additis quinque Inſulis ex auro puriſſimo; Galeæ ejusdem Globus aureus, qui mundum referret, impoſitus hac cum Epigraphe:

*A Caſtilla, y à Leon*
*Mondo nuovo dice Colon*

***Columbus Caſtellanæ & Legionenſi potentiæ orbem adjecit novum.***

Credo, ut oſtenderet Rex prudentiſſimus, tum demum ſcuta gentilitia veram loqui Nobilitatem, ſi non tam brutarum animantium exuviis, quàm factis decorentur propriis. Secunda poſtmodum vice inter feſtas totius Hiſpaniæ acclamationes in inventas à ſe Inſulas reverſus Columbus arcem ligneam, unicum illis in Regionibus propugnaculum ſolo æquatum, Militésque in præſidium relictos à Barbaris ad unum omnes trucidatos deprehendit. Quare juſtam de illis vindictam ſumpturus, incolarum Sanguine cædéque multiplici mortuis parentavit, ea

res malévolis in Aula Hiſpana materiam Viri fortiſſimi virtutes criminandi præbuit; Apertè etenim calumniabantur: *Majores res Columbum in India ſuſcipere, quàm quas Præfecti modus caperet; multa ab Illo Barbarè crudelitérque agi, inviſum exteris gentibus Hiſpanum nomen, jugúmque reddi intolerabile;* Quare Ferdinandus plus æquo credulus, conjectum in vincula Columbum in Patriam revehi juſſit, cauſam coram Regio dicturum tribunali Tum verò impotentis fortunæ ſpecies conſpici potuit; Quippe quæ Heroes etiam maximos veluti pilam in manu habet, ut modo extollat, nùnc deprimat. Verùm non diu latere potuit inter invidiæ nebulas ſplendidum virtutis lumen; Tanta enim alacritate ac conſtantia coram Ferdinando cauſam ſuam egit, ut facilè malevolorum criminationes paterent. Hinc magna cum omnium approbatione abſolutus novíſque etiam honoribus auctus in Indiam denuo redire jubetur, ibique regio nomine rem Hiſpanam adminiſtrare, jámque rebus ibidem compoſitis negotiorum cauſa tertiùm iterúmque in Hiſpaniam revertebatur, cùm tandem contracta ex tot laboribus Podagra fractus Hiſpali (uti Brietius ſcribit) aut Valiſoleti (uti Schererus) quietè in lectulo Creatori ſuo, cujus Majeſtatem in detecta orbis parte integra glorioſiorem fecit, magnanimum reddidit ſpiritum Annô 1506. multas terra maríque expertus tempeſtates; ſed ab hominum malevolentia, quàm maris ventorúmque ſævitia turbulentiores. Reliquit Filios duos Jacobum & Ferdinandum, quorum prior in Officio ſucceſſit Patri. Novus orbis à Columbo primùm inventus, poſtmodum ab Americo Veſputio Florentino, qui magna ex parte eundem luſtravit, America eſt appellatus.

*Ex Biretio ad Annum Chriſti 1492. & 1506. Ex Geographia Politica P. Henrici Schereri S. J. P. 4. f. 199. Ex P. Antonio Foreſtio S. J. in Vit. Reg. Hiſp. Ferdinandi V. Ex Hiſtoriis Indicis P. Joannis Petri Maffeii S. J. Lib. I.*

L. D. S.

# FABULA TOTIUS OPERIS.

## LIBER I.

SOlvit Gadibus Columbus. DISCORDIA venientes à longè Hiſpanas naves ſuo ex ſcopulo conſpicata, indignè fert, Americam cum Europa per commercia conjungendam. Hinc ope Prothei magnam in mari tempeſtatem excitat, properante in occurſum Hiſpanæ claſſi integro marinorum Monſtrorum exercitu; quo ab aditu Indiæ prohibeantur Hiſpani. Navis Columbi à Sociis avellitur. ARETIA ſive VIRTUS Columbi cauſam in cœlo agit, ibi à providenti Numine felices Hiſpanorum Succeſſus, & res in futurum à Columbo in India gerendas intelligit; clypeum Divini Amoris impetrat, quo Columbum protegit, tempeſtatem compeſcit, Socios Columbi concordes reddit. Ad Inſulam Teneriffam ſeſe confert, ibi valvis templi, quod JanoSacrum, lætum Columbo inſcribit omen.

## LIBER II.

APpellunt in Inſulis Canariis Socii Columbi. DISCORDIA nova in Hiſpanam claſſem agitat conſilia, utitur ad decipiendos & Fortunatarum Inſularum illecebris faſcinandos Hiſpanos operâ Theromantidis nobilis ſagæ, quæ fortunæ Sacra curabat. Hanc accedit, hortatur, ut, veluti quondam Circe Ulyſſis


Socios

Socios in porcos mutavit, ita illa Columbum cum ſuis Argonautis Fortunatarum Inſularum voluptatibus inescatum ab ulteriore in Indias itinere detineat. Sacerdotes Bacchæ in Inſulis Fortunatis Fortunæ orgia celebrant. Ab iisdem Hiſpani excipiuntur hoſpitaliter. Theromantis illos in Voluptatum regiam deducit, fovet, refocillat. Poſt menſam illis mirabilem de Baccho, & Fortuna fabulam narrat, unde nomen ſuum Fortunatæ Inſulæ traxiſſent. Ligantur Theromantidis faſcino Socii Columbi.

## *LIBER III.*

Columbus navim ſuam à reliquis per Tempeſtatem avulſam ad Inſulam Teneriffam appellit. Hujus Inſulæ ſitus & natura, ac præſertim Ferrifodinæ Poëticè deſcribuntur. Reficit navim ſuam Sociósque Columbus, luſtrat montem igni vomum, & circumjacentem Regionem. Edocetur naturam Platani, & paſſeris Canarii. Templum Jani, quod illius oculis in monte excelſo objicitur, luſtrat. Hujus templi mira deſcriptio Cognoſcit Columbus ſe repertorem Indiæ eſſe. Aretia ſeſe illi in templo Jani præſentem ſiſtit, vaticinatur illud Romam transferendum, Petróque ſacrandum. Introducitur Columbus ab Aretia in Regiam Virtutum, admiratur ibi ſuo quamvis occupatam negotio. Illæ Columbo Baltheum texunt, & arma cœleſtia unà cum clypeo offerunt Ingenioſa clypei deſcriptio, in quo varia de Regibus Hiſpanis; eorúmque in utroque orbe potentia. Induit cœleſtia arma Columbus docetúrque, quomodo Socii ope cœleſtis clypei à Theromantidis faſcino liberandi.

## *LIBER IV.*

Columbus ab Aretia inſtruitur, qua ratione Socios à faſcino Theromantidis veneficæ ſolvat, Poëſis Columbum in Indiam cum reliquis ſcientiis ſequi vult Cui Aretia promittit, fore, ut cum Columbo Scientiæ omnes Europææ in Indiam introducantur. Accipit Columbus ab Aretia cœleſtem Baltheum, in quo virtutes, artes cum quatuor orbis partibus acu phrygia pictæ deſcribuntur. Vaticinatur Aretia oritura in Indiis bella præſertim ob Auriam Cubani Regis Filiam (ſub cujus nomine Americam Poëta intelligit) quam Monſtro marino expoſitam Columbus

bus liberaturus eſſet, deſponſandam poſt breve tempus Americo Veſputio, à quo dicenda eſſet America. Columbus Euphroſina Duce mare fortunæ enavigat. Intelligit invidiæ tempeſtatem ab Æmulis in Aula Hiſpana in ſe concitandam. Excipitur à Theromantide, & ope cœleſtis clypei Socios à faſcino hujus ſagæ liberat. Theromantidis furor, minæ, violenta mors. Recipit Columbus prætoriam navim Ferdinandi Filii error, Patrem ſuum mortuum credentis auget lætitiam. Columbus Fortunæ nemus cædit, novámque navim ædificat, huic nomen Fortunæ imponit, & Filium Ferdinandum præficit.

## LIBER V.

IN interiora Indiæ provehitur Columbus. In itinere Sociis feſtiva narratione tempus fallit, dum expugnationem Granatæ, poſt diuturnam obſidionem à Ferdinando Quinto, & Iſabella Mauris Ereptæ ex ordine recenſet. Iſabellæ in obſidione Granatenſi generoſa indoles. Ejusdem ad Suos pathetica oratio. Naumachia Hiſpanorum cum Mauris, ubi varii caſus Poëticè deſcribuntur. Duorum Juvenum Maurorum mirabilis in prælio amicitia. Pſyllorum angues impunè tractantium barbarus pugnandi modus. Mira de Arisba Pſyllorum DuceFiliam ſuam inter Hiſpanas Amazonas inveniente immiſcetur fabula.

## LIBER VI.

EX novis Syderibus novum Columbus orbem haud procul eſſe conjicit. Oritur inter Socios ex deſiderio Patriæ tumultuatio. Auget Seditionem malacia repentè in mari exorta. Alvarus æmulorum Columbi præcipuus in mortem ejusdem conſpirat, ſed ſiniſtro eventu; quippe dum intempeſta nocte in navim Columbi irruptionem parat, rupto ponte aquis hauritur. Seditio à Columbo facilè compeſcitur, non tamen ſine jactura Ferdinandi Filii, qui dum in tenebris Patrem ſuum ab Alvaro occiſum ratus, interfectorem perſequitur, fallente veſtigio ex navi in altum prolabitur. Ergaſtus ex occaſione ruderum in tranquilli maris fundo apparentium ex Platone recenſet, Inſulam in mari Atlanteo olim aquis hauſtam. Venit tandem in Columbi conſpectum nova Inſula, in hanc unanimî omnium cum lætitia

titia exſcenſionem facit. Terra Signo S. Crucis in illa primum plantato contremiſcit. Concidit Idolum Berecynthiæ, cujus Sacerdos Artemidorus Hiſpanos pro Diis habet, dedocente errorem hunc Columbo, veríque DEI cultum prædicante. Indi Europæis crepundiis mirè delectantur. Invenit hic Columbus Ulyſſis tumulum. In templo Berecynthiæ Salutis trophæum erigit.

## LIBER VII.

SUperſtitio indignè fert Crucem in India plantatam. Timet ne Auria Cubani Regis Filia Hiſpano in Sponſam cedat. Hinc tempeſtatem in mari excitat, qua irati fluctus ad usque Cubæ mœnia extumeſcunt. Arviragus Cubæ Rex ex Phœbei oraculi ſorte intelligit Auriam Neptuno in Sponſam, veriùs in victimam exponendam. Pater funeſto imperio obſequitur, Filiam Monſtro marino exponit. Advenit in tempore ex Hiſpaniola Columbus, & velut Antromedam quondam Perſeus, ita ipſe Auriam ab infernali monſtro liberat. Ingeniosè in hoc monſtro Idololatria deſcribitur. Arviragus Columbum cum Sociis ſuam in Regiam deducit, applaudente Cubano Populo.

## LIBER VIII

HIſpanæ naves naturæ miracula videntur Indis. Columbus cum Sociis lautè habetur ab Arvirago, quem cum ſua aula ac præſertim Regia Filia & ipſe poſtmodùm ſua in navi Europæis fructibus recreat. Utilitatem navium, eásque fabricandi artem Indos edocet, Antipodes dari demonſtrat, patriam, genus, ac iter ſuum ad Indos avido horum omnium Arvirago recenſet, artem vitra conflandi Indis exponit, lætum omen ex tonitru colligit, Baltheum ſuum Arvirago & Auriæ exſplicat. Agnoſcit Auria imaginem ſuam in Columbi Baltheo inter reliquas tres orbis partes depictam. Arviragus offert Columbo in Sponſam ſuam Filiam. Is prædicit, alteri, nempe Americo Veſpucio eſſe deſtinatam. Spargitur fama Columbum cum Auria celebraſſe Sponſalia; Qua de re in furias agitur Rex Anthropophagorum, qui dudum Auriam deperibat.

# LIBER IX.

SUperſtitio cum Diſcordia Cubam ſpeculata, indignatur virtutes Europæas in Indiam introductas. Integrum vitiorum agmen adverſus illas ex orco evocat, atque inter hæc præcipuè Duellum. Hujus Poëtica deſcriptio, Duellum reliquis vitiis in reliquas Indiæ partes diſtributis ad Cannibales Anthropophagos ſe confert. Anthropophagorum mores & Genius deſcribuntur. Ibi Ferdinandum Columbi Filium, Anthropophagorum ope, ad quorum littus ille poſt naufragium expulſus eſt, novo dolo in ipſum Parentem armat. In ludis equeſtribus ſtimulante Discordia inter duos Equites Hiſpanos res ad Duellum venit; Unde Indi perniciosum ab Europæis vitium condiſcerent. Compeſcitur tamen hæc lis authoritate Columbi. Therodomon Anthropophagorum Regis Legatus Arvirago bellum indicit ob Auriam Hiſpano deſponſam. Paratur à Columbo, & Arvirago bellum adverſum Anthropophagos.

# LIBER X.

FErdinandus Columbi Filius in tumultu nocturno (uti ſuprà memoravimus) in mare delapſus, Nympharum ope infra aquas incolumis perſiſtit. A Nerine ad antra Thetydos deducitus, ibi varia naturæ myſteria & documenta Ethica contra Politicas hujus Sæculi fallacias ab Alethia veritatis Præſide condiſcit, tandem ope Delphini in littus Cannibalum exponitur; ibi in Somno Duellum ſeſe illi objicit, atque ſub Columbi ſpecie illum hortatur, ut Alvarum, à quo Columbus in nocturna Seditione perfidè occiſus eſſet, apud Cubanos unà cum reliquis perduellibus modo ſuperbè Indis imperantem debita pœna perſequatur, mortémque Patris vindicet. Fidem habet Ferdinandus ſomnio, ſed dum regionis ignarus in ſylva oberrat, in foveam venenatam, qua Anthropophagi homines capere ſolent, incidit. Capitur à Vaſilinda Anthropophagorum Regis Sorore. Ab hac dum hauſta certo ex flumine aqua aſpergitur, & à deliquio ſuo refocillatur, in Æthiopem mutatur, novas vires à potu Cocolatæ accipit, caſus ſuos Vaſilindæ exſplicat, ſuam in bello adverſus Arviragum & Hiſpanos Anthropophagorum Regi operam offert. Miram ex Vaſilinda de Sole Noctis Sponſalia fruſtrà ambiente fabulam intelligit.

# LIBER XI.

BEllona de armis Europæis proſpicit Indorum exercitui, omnia belli Studiis fervent. Duellum ſub ſpecie Heliodori Legati ab Arvirago miſſi Anthropophagos adversùmHiſpanos magìs exſtimulat. Oxidamas Regis Anthropophagorum juſſu cum 300. Canois ( ſive navibus Indicis ) Avanam contendit. Rex Anthropophagus variis ſomniis turbatur. Ferdinandus à Vaſilinda Anthropophagorum Regi traditur. Hic illius opera in bello adversùm Hiſpanos & Arviragum utitur.

# LIBER XII.

INvocatio ſecunda ad Muſas, Oxidamas Avanam vaſtat, unde cruentum prælium Anthropophagos inter & Arviragi exercitum; quem Columbus ſuis cum Hiſpanis tuetur. Eclypſis Cubanos ante prælium reddit ſollicitos, eximit ſtolidam Religionem Columbus, dum naturalem Eclypſis cauſam docet. Confligitur. Varii vulnerandi modi Poëticè deſcribuntur, immixtis Epiſodiis ad deſcribenda prælia ſervituris. Ferdinandus cum Vaſilinda ex Anthropophagorum partibus ſtat contraColumbum, idque eò ardentiùs, quòd ſub Columbi armis Alvarum Parricidam latere exiſtimat, dolum ſuum ulteriùs promovente DUELLO, quod Armigerum Regis Anthropophagorum ſimulat; séque lateri Ferdinandi adjungit. Vaſilinda ab Auria ſternitur. Denique & Ferdinandus ad Monomachiam Columbum provocat; Hic Æthiopis colore deceptus eum ex Anthropophagorum gente eſſe exiſtimat, unde uterque in acres iras conſurgit. Donec tandem mutua inter gaudia ſeſe agnoſcunt. Imponitur bello finis, ſtabilitur in Indiis Hiſpana potentia. Poëta toti operi adnectit clauſulam.

L. D. S.

CO-

# COLUMBUS CARMEN EPICUM.

## *LIBER I.*

PRIMUS ab Europâ, Solis qui viſerit urnam,
Pérque prophanatum velis mare, maxima Regna
Regibus Hiſpanis, Orbémque adjecerit Orbi,
Sit mihi materies Operis. De ſanguine Grajo
Mentiri facilis, quantum ſcit fingere fingat
Fama vetus, qualem tellus tulit Itala, numquam
Proferet Heroem. Greſſum fœliciter audax
Moverit Alcides ad ſubterranea Regna,
Aggreſſus penetrare Chaos, conſiſtere contrà
Nigrantem Patruum, licèt idem vertice Cœlum,
Et ſuper hæc tulerit preſſantem terga novercam,
Hæſit ad Oceanum feſſus tamen; æquore viſo
Palluit attonitus vinci, poſitíſque columnis

Inciſas adamante notas in ſæcula miſit:
Ire rates huc usque licet, ne vincite metas,
Hercule plus audere nefas; Jam tollite pigris
Hactenus antennis præſcripta obſtacula nautæ:
Naſcitur hic vobis alius, non deſinit Orbis.
Maximus en Ligurum vetitum deſcendit in æquor
Auſus inexpertas poſt terga relinquere Gades,
Aſtra ignota ſequi, nec habentes nomina ventos.
Magnum opus aggredior; neque enim minus arbitror Orbis
Poſſe repertorem comprendere verſibus, Orbem
Quam reperire fuit; ne perſequar omnia, certè
Invia commentis peragro loca, nullus Homerus,
Nullus & Heſiodus, qui nobile fecerit antè.
Quod calcamus iter; quò ſe mea lumina vertunt
Barbaricum per inane, vident plena omnia Vero.
Quò magis ut cæptis adſis audacibus oro
Diva potens Cyrrhæ, Famæ tu claudere Templum,
Tu reſerare vales, quando tibi contigit uni,
Ut terras terris, & ſæclis ſæcula jungas.
Suave olim, visúque fuit mirabile Romæ,
Cum duo juncta ſimul, quæque ante obſtantia tergis
Terga, theatra ſibi vertebant, viribus artis
Concita, paulatim cum ſpectatoribus ipſis
Inde moverentur, donec coëuntibus unam
In faciem geminis coaleſceret Amphitheatrum:
Aëriique viatores in mutua ſenſim
Lumina defixi, caperéntque, daréntque ſalutem.
Par quoque munus erit, ſi quæ contraria noſtris
Regna jacent pedibus, cum Regibus, & Patriis Diis,
Urbibus, & ſylvis, per te præſentia fiant,
Ut ſibi jam tandem deprenſo lumine Veri,
Antipodas conſtare recens intelligat ætas.

Tu quoque præſidium, ni dedignabere, præſtes,
Pamphiliæ decor ô Gentis, BENEDICTE, Nepóſque
Par ingentis Avi: Tu vatum maxime, vatis
Lora regas, quandò te Præſide Vaticanæ
Protegitur ſenium venerabile Bibliothecæ,
Servator famæ veteris, ſervandus in illâ.
Non aderis nautis Fautor novus, & tua cantat
Munera, Tyrrhenâ recubans mercator in algâ:
Reddita Neptuno per Te ſeu clauſtra Neronis
Accolit, & Lybicum defendit mercibus Auſtrum;
Trajani ſeu Regis opus jam tempore fractum
Per te miratur juveneſcere, qui ſtationem
Ut mutent elementa jubes, depreſsáque tollis,
Ardua demittis, penetras in tartara ferro,
Et peregrinantem ſuſpendis in arcubus undam,
Unde velut Cœlo lapſum bibat advena rorem.
Quare age, & Hiſpanis Minyis, ne ferre recuſes
Dexter opem, magnus Procerum comes, Oceanóque
Detrahe ſiparium, præeátque Columba Columbo.
Nuncia magnanimorum operum jam fama canebat
Ad Gades promptam velis, armíſque ſuperbam
Stare ratem, quæ jam tandam formidine vanâ
Vindicet Oceanum, defoſsóſque eruat Indos.
Protinus erecti Indigenæ armipotentis Iberi
In tantum coiere decus; non moribus iisdem,
Non ſtudiis ſimiles, nec eodem ſub Jove natos,
Fecerat unanimes magni concordia voti.
Quos ubi ſpirantes animoſum vultibus ignem
Dux videt, & clauſos ceu carcere, poſcere curſum,
Celſior ipſe loco, ſolitóque auguſtior ore,
Vocibus his acuit, ſtimulóſque calentibus addit.
Litore Poſteritas ſpectat ſublimis ab iſto
Carbaſa, quodque diu latuit, num maximus ille

Ocea-

Oceanus, Fluviorum uterus, terræque patentis
Vinclum immane, ingens, ſit meta noviſſima rerum;
An jaceant ſuper Oceanum nova litora, & Urbes,
Tandem ſcire cupit: Litem componere Mundi
Nos ſumus electi; quamquam, ſi vera fateri
Fas mihi, naturam anguſtat, quicunque coërcet
Finibus Oceani, ſe ſe in ſpatia ampla relaxat
Magna Parens, neſcítque modum: quo credimus illam
Deficere, hic oritur; non eſt audacia voti,
Summa licet, culpanda tamen. Natura capacem
Mentem hominis jubet eſſe ſui: niſi poſſe potiri
Illa daret, quò nos ſtimulat, nec vota dediſſet.
At nullo tentatus adhuc à remige fluctus:
Gratulor hoc ipſum, quod non exempla ſequamur,
Exemplar nos eſſe decet; poſt talia facta
Parciùs audaces Minyæ, vos fama loquetur,
Et minor Argolicis annalibus ibit Ulyſſes.
Sed mors certa manet, deſunt & ſydera Cœlo:
Sed tenebris confuſa dies, ſed plena ferarum
Omnia: Sed ſalvi nihil eſt, ubi vortice raptæ
Naufragium patiuntur aquæ, ſeſéque reſorbens
Ebibit Oceanus. Verùm hæc vaniſſima vulgi
Fama refert, liceat niſi vincere, monſtra videre:
Fingite vera tamen, quæ ſolùm credere vera,
Qui timuere, ſolent; ſunt! ſunt, ô! præmia tanti,
Ut majora fide poſſint mala, nulla videri.
Imus ad Indorum ſedes, petimúsque beatam
Gemmarum patriam: Regio eſt aptiſſima vinci,
Dives, & imbellis: nondum ſe montibus illis
Merſit avarities, rupésque cecidit opimas
Lucro irata ſuo, necdum reſonare bipennim
Audiit Hiſpanam vicina ad tartara Pluto.
Veſtrum erit intactæ fibras aperire parentis,

Theſau-

Theſauris donare diem, noſcique volentes
Promere divitias; merces quàm magna paretur
Navibus his, neſcitis adhuc: his credite velis,
Expectant Superi ſtatuas, diademata Reges.
Quid tamen intueor! ſolito maturior exit
Nox Pelago: teneo miſſum Cœleſtibus omen.
Omnia prona viæ proſpexit ab æthere Phœbus,
Arma, duces, ventos; ideóque citatior Indos
Viſere amat, ferat egreſsûs ut nuncia noſtri.
Hæc ait, & ſtricto feriens retinacula ferro,
Dat claſſem ventis, & concipit aëra malus,
Jam volat, illam omnes animíque, oculíque ſequuntur;
Ire nec aſpicitur, niſi poſtquam apparuit iſſe.
Fugerat à tergo portus, nec Ibera videri
Litora deſierant abeuntibus: ultimus ipſe
Terrarum clypeus donec vaneſceret Atlas.
Ultra Fortunæ dictas à nomine terras
Erigitur ſcopulus partes abruptus in ambas:
Stétne, cadátve, manet dubius, ſempérque ruenti
Imminet aſſimilis, ne deſinat eſſe timori.
Hìc, procul humano ſe ſe Diſcordia cætu
Abſtulit, inter utrumque Orbem, prohibétque coire
Rupibus injectis geminas in fœdera gentes.
Et modò de ſpeculâ, nunc has, nunc aſpicit illas,
Diverſasque videre plagas, diverſaque gaudet
Litora, diſcordesque Deos, hominesque, ferasque,
Sydera ſyderibus contraria, Regnaque Regnis.
Portentum grave Terrigenis, cui ſola voluptas,
Scindere quidquid amor, quidquid natura ligavit.
Odit & ipſa ſuo coëuntia corpore membra,
Hinc morſu petit, & manibus divellere tentat
In partes partes, & fruſta in fruſta ſecare.
Nullus in ore color, niſi diſcolor, albida, flava,

Atra-

Atraque cæſaries, claudit quoque pectore bellum;
Gaudet, mæret, amat, momentoque odit eodem,
Ipſa ſui Chaos eſt, in ſe cunfunditur ipſa,
Diſcordisque Deæ totum eſt diſcordia corpus.
Invigilant dominæ lateri famularia monſtra,
Jurgia, Seditio, Lites, Furor, Ira, Tumultus,
Murmura, Diſſenſus, Rixæ; quæ nocte dieque
Exercent in bella manus, metuuntque viciſſim
Vincere, ne finem faciat victoria pugnæ.
Regnat in implacidas animas Dea turbida, quodque
Detrectent parere ſibi, ſceptroque rebellent,
Hoc regnare vocat. Montis quæ vertice poſtquam
Luce ſub incertâ venientia carbaſa vidit,
Aut certè vidit, vel ſe vidiſſe putavit,
Terque quaterque caput quaſſans: ratis ô! ratis ô! quæ
Velificatur, ait, veterumque quod horruit ætas,
Auſa nefas: ſuper Oceani monſtra omnia monſtrũ eſt,
Viſa per Oceanum volitare impune carina.
Tartareusne ſenex animarum examine ſeptus,
Fert caligantem nigrâ ferrugine cymbam,
Indigeſtum Erebi fumum, ſomnumque peroſus
Ignavæ Lethes nocturno frangere remo?
At non eſſe poteſt audacia tanta ſepultis:
Qui mortis nec regna timent, maria iſta timerent:
Infernis pejora utinam ne monſtra venirent.
Suſpicio nec vana mea eſt; hoſtilia candent
Vela procul; noſco Labarum, maculasque cruoris
Inviſi; DEUS ecce DEUS, quem Tartarus horret,
Atque ego plus illo: tantam DEUS iſte, Deorum
Non patitur turbam, delubraque noſtra tenere
Vel ſolus, vel nulla volet; ſemel advena Numen
Indos introëat, pereant mea jura neceſſe eſt.
Diſcordes Urbes, diſcordia regna coibunt

In corpus, fietque DEO gens una ſub uno.
Proh dolor! ut video facibus de puppe levatis
Invehitur peregrinus Hymen, thalamisque futurus
Gratior, orbe ſatos aliò transportat amores.
Jam jam ſi junctis animis ſub legibus iisdem
Corpora connubio junget quoque, Mexicus Orbis
Tempore ſe parvo mirabitur Europæum.
Aſt ego, tutelam valli cui credidit hujus
Imperioſa ſuperſtitio, tranſcendere clauſum
Limen inulta ſinam? nunquam ô temeraria claſſis,
Nunquam erit, ut liceat tibi dicere: Vidimus Indos.
Hæc ubi dicta, ruit præceps, partemque revulſæ
Secum irata domûs traxit; fugit inde per auras
Torva, ſed à tergo reſpectat læta fragorem.
Nec mora, quod Pelagi ſeductâ in parte latebat,
Cæruleum penetrale petit, rupemque ſenilem
Ancipitis Protei; fama eſt ſtabulare ferarum
Terribilem conventum illìc, ipſumque ſedere
Paſtorem armento medium, ſæcla omnia mente
Geſtantem, plenum fatis, ævoque futuro.
Si quid amare poteſt, amat hunc Diſcordia: quippè
Par ſibi, nemo magis pugnantia corpora doctus
Sumere; fit Leo, fit coluber, nunc exit in ignem,
Nunc in aquam, formâque tamen deformis in omni;
Cujus ut ante oculos ſtetit effera; Paſtor ad umbram
Lente ſedes, clamat, quique omnia ſcire fateris,
Quæ ſint, quæ fuerint, & quæ ventura trahantur,
His neſcis, quid agatur aquis? ſpreto Hercule, ſpretis
Diis maris, atque Erebi, tandem via facta per undas,
Tempus ad hoc homini clauſas; tantique quis auſi
Molitor? Ligur eſt, animoque ſuperbus Ibero,
Dicere non auſim minus horreat improbus, an plus
Affectet: quod amat, geminos eſt jungere mundos;
Quod

Quod non horret, aquæ ſunt hæ; mera phasmata ridet
Immodicos Phyſeteres ſe more Cylindri
Tollentes ab aquis, eructantesque profundis
Faucibus in naves gravius mare ventris ab imo,
Mox ſuper antennas avidos diſtringere rictus,
Fac prope terrificent oculos, & corpore recto
Aſſurgant ſqammoſi apices; intelligat amens
Advena, poſt Gades, alias hìc eſſe columnas.
Neu procul à terrâ, terræ caruiſſe timore
Forte putet, Tauros alios, aliosque Elephantos
Egere. Quis pudor eſt, intra cum litora ſe ſe
Humida gens ponti teneat, contentaque ſtagnis
Vivere clauſa ſuis, terras intrare recuſet,
Non modo ſollicitent pontum telluris alumni;
Inſuper inſultent: non ipſa cubilia magnæ
Tethyos horreſcant pervadere cominus, atque
Sacrilegos oculos urnæ demittere Solis?
Debueras multò ante pudori occurrere noſtro,
Ut Gaditano ſolvens à litore, primos
Fecit aquâ in vetitâ ſulcos: tunc omne natantûm
Vulgus in audacem decuit producere claſſem,
Non aliàs, illo quam tempore, pompa ferarum
Oſtendenda fuit; meritas ut perdita pœnas
Europâ ſpectante daret: ſcirentque Nepotes,
Debita quæ pelagi maneat reverentia Regem.
Quidquid peccatum retrò eſt, modo corrige; toto
Cum grege ſpeluncam turgentibus objice velis,
Fluctibus in mediis mirata natantia Caſtra
Hæreat, ulteriusque volet ſi tendere claſſis,
Unum iter inveniat per guttura Balænarum.
Dixerat hæc, & plura ferox, propriorque jubenti,
Ni faciat. Silet ille diu, præcordia donec
Concipiant majorem animam, tandem altius hauſto
Numi-

Numine ut intumuit: rixari deſine, dixit,
O Dea ſæva, Deo: venit quæ miſceat Orbes
Hora duos, luctere licèt, non viribus ullis
Efficies, quin acceſſus pandatur ad Indos;
At tibi ſi cordi ſunt iræ, prælia, clades
Verte aliò mentem, potiuſque adnitere, figat
Litoribus vetitis hoſtilis ut anchora dentem;
Auri gleba ferax, nullique obnoxia ferro
Degit ibi, Dominis pretium ignorantibus ipſis.
Huc ſine prædones veniant Orientis avari,
Primi intrent, fodiantque ſpecus, raptoque potiti
Turrigeras onerent pinus; proh qualia Bæti
Bella reportabunt! tutum ſe cautus Ulyſſes
Credidit, Æolios fratres dum clauderet utre,
Ignaruſque tamen ſua ſe geſtare pericla,
Naufragium ſecum, tempeſtatemque ferebat.
Scilicet illecti maſſæ flaventis amore,
Certatim Thraces, certatim Maurus, & Anglus,
Navaleſque ruent Batavi: jam claſſibus omnem
Umbrari Oceanum video, ramoſaque Cœlo
Fulcimenta rapi, ſeque ipſo Atlanta minorem.
Quis tibi tunc animus, totum cum luce fragosâ
Aſpicies radiare fretum, & candente metallo
Fulgores, tonitrus, terrenaque fulmina trudi?
Mox ſonitu ingenti cum bellatoribus acta
In præceps ferri tabulata, perire videbis
Inde voraginibus, qui jam periere ruinâ.
Detur, ut extorris jam tandem bractea Bætin
Naviget indemnis: non eſt de mercis opimæ
Pondere, cur nimiùm ſibi plaudat Iberia; bella
Aut alet Europæ, vel ab illâ ſævior armis
Luxuria incumbet Bellona domeſtica morum;
Atque ita quam metuis, ſociet ne carbaſus Orbes

Iſta duos, Orbem potius committet utrumque.
Conſcius ipſe mali jam nunc ſibi proxima Pluto
Hiſpanis ultrò foſſoribus antra relaxat,
Et petit in lucem ſcelerum fomenta recludi.
Odit & Oceanus poſt tot jam ſæcula nullas
Eſſe rates, in quas ſua mugiat unda, doletque
Perdere ſævitiam, ſteriles latrare procellas,
Et ſcopulos ſine laude truces, dare nomina geſtit
Syrtibus, & ventis, famâque carentibus oris.
  Dixerat: illa licet vatis reſponſa probaret,
Laudaretque invita etiam, tamen illius ut mens
Pugnat in alterius mentis decreta, quod ille
Improbat, ipſa probat: quin vis ea peſſima cordis
Diſcordantis ineſt, ut cum ſit nata nocere,
Vel nocitura minus, modo ſint ſibi diſſona, malit.
Ergo fremens, oculoque adſpectans Protea torvo,
Velle tuum nolo, volo nolle adjecit, & iſthæc
Pugna mihi placitura magis, quod & ipſe repugnes.
  Hæc ubi dicta, cavo latitantem lampada cornu
Detexit, tenuitque manu; lux infera penè
Perculit egelidum conclave: repente ſoluto
Frigore, fornacis ritu, candeſcere cœpit.
Extemplò Proteus, ut in omnes vertere ſe ſe
Aptus erat formas, ſimul ac per lumina fulgor
Tranſiit in venas, flammamque medullitus hauſit,
Vertitur in flammam, ſolitoque flagrantior arſit.
Æquoreus Tubicen cantum non edere doctus
Ante, niſi ad Thetidis ſpectacula feſta jocoſæ,
Inflavit concham; verùm quia concitus ignem
Pectore combiberat, dum ludicra ſibila tentat,
Intonat armiſonum: prior horruit ipſe, fuitque
Vox omnes ſuper illa tubas. Tunc frigida ponti
Militia, accepto belli irritamine, præceps
Incum-

Incumbit pelago, quæcunque horrentia pinnis,
Dentibus, & corio, vel acuti tergoris haſtis
Monſtra catervatim denſantur, & ordine nullo
Effunduntur Equi, Tauri, Tritones, & Orcæ,
Semiferique homines, portentificæque puellæ.
Una omnes ſimul ardor habet: velociter ire
Miratur Teſtudo pedes, contráque carinas
Pleni odiis mutaſſe ſtupent Delphines amorem.
Qualis in Auroræ pelagus cum magna Philippi
Progenies egit confertam milite Claſſem,
Squammoſi pecoris veniens exercitus alto
Obſtitit intranti, de totque animalibus antè
Aggere ceu facto dare lina retrograda juſſit:
Admonitumque Ducem voluit ſibi partibus illis
Ne quoque tam pronè vincendum fingeret hoſtem,
Eſſe aliud bellare Mari, quam vincere terras.
Talis ab occidui veniens Hiperionis undâ
Inſtructum æquoreis legionibus agmen agebat
Hiſpanis clauſura viam Diſcordia roſtris.
Quisque ſuam iratis de piſcibus exacuit vim.
Hamos lethiferi morſûs Echeneis, inertem
Frigoris afflatum Torpedo, quique mucronem
Fronte gerit mediâ, torquet, cupidusque ferire
Non ferit, & vanis diverberat ictibus auras.
Vulgus aquatilium balæna noviſſima claudit,
Cycladis in morem gradiens, Delique natantis
Dat ſonitum caudâ, & ſua ſe poſt terga relinquit,
Funditùs una capax mare vertere bellua totum:
Quid cunctæ potuere! Repente nigreſcere pontus
Cœpit, & è fundo ructari nimbus arenæ:
Flamina tunc aberant, illoque ex axe remotos
Carceris Æolii tenuit diſtantia ventos.
Aſper anhelatus nantûm tot ubique ferarum

Ventorum ſed munus obit: movet halitus undas,
Et jubet in tumidas adeò ſuccreſcere moles,
Quanto non furerent Aquilonis turbine motæ.
Adjuvat ardentes furias Diſcordia, nudo
Quæ pede ſumma maris feriens, effervere fluctus
Cogit, uti Tyrrhena ſuper cum marmora verſat
Clauſtro indignatus flammantia Veſvius exta.
Vel ſoli poterant jaculando longius igni
Eſſe pares oculi, ſed habebat dextera tædam.
Diſcutit hæc noctem, dat lumen, & obruit una;
Jus & in omne fretum tamquam velit unica, Cœlum
Eripit, immiſſoque excæcat ſydera fumo.
Quàque rubet, ſtygii madefacta bitumine fontis,
Huc illuc fomenta jacit facientia rixas.
Incidit in claſſem. Puppis prætoria primùm
Dividitur; Dux attonitus quâ parte feratur
In præceps, oculo ſequitur fugiente ſodales:
Hos quoque contactu perſtrinxit ut ignea peſtis,
Extemplo turbati animi, pietasque, fidesque
Deficiunt, odiis ſe ſe inſectantur apertis,
Cauſam odii nec ſcire licet, fremit undique murmur
Armorumque, virûmque, furit cum milite miles,
Telaque diſtringunt: cecidiſſent forſitan icti
Vulnere non alio, quàm quo Cadmæa juventus,
Juſſa mori, quâ nata die; formido vetaſſet
Ni potior, civile nefas: modo namque levati
Fluctibus immodicis Cœlum ſe tangere credunt,
Tangere depreſſi modò Tænaron, unica ab imis
Vox audita vadis ſuper aëra redditur: Eheu!
Perdidimus Mundum, dum quærimus. Ultima verba
Non ſinit audiri murmur grave: territat æquè
Quod poſitum ante oculos, & quod poſt terga relictum eſt.

Tali-

Taliter ignoto deprenſus tramite Cœli,
Lumen ad occaſum, lumen referebat ad ortum
Mentis inops Phaëton, ſimul ire, ſimulque redire
Horruit ex æquo, ſpatium dimenſus utrumque.
  Numinis interea monitu dedit aurea cantum
Buccina, conciliumque vocat: panduntur Olympi
Audito clangore fores, & tempore eodem
Numinibus terræ patuerunt, Numina terris.
Tunc animas, nil terrenæ jam fœcis habentes,
Sydereosque Senatores Reſpublica lucis
Egerit, auguſtoque replet ſubſellia cœtu.
Nec quia conſultis egeat de rebus agendis
Cœlicolum mentes interrogat; ante rogari
Sed quia vult, quàm dona ferat: ſic illius aulæ
Ferre preces poſſunt, & non ſuffragia Patres.
Lætior aſſueto, facies tunc ardua ſummi
Regis erat; juſſum ſolii rareſcere ſpiſſum
Lumen, & ad ſacras dormire tonitrua plantas.
In quem non audens oculos attollere, cœpit
Sic Aretia loqui: cum diceret, omnis in unam
Curia converſa eſt, tenuitque ſilentia Cœlum.
  Alme Tonans, totus licet hic tibi ſerviat Æther,
Non colis idcircò majora palatia, quam cùm
Tecum habitas, juxta felix, à ſupplice Mundo
Seu coleris, vel ſi nulli ſpectabilis, intrà
Te recipis, ſolus tibi pompa, tibique theatrum.
At quia juſſiſti pulchrum pulcherrimus ipſe
Deterſo ſquallore in lucem erumpere Mundum,
Notior ex opere ut fieres, & proderet ipſa
Pictorem pictura ſuum; circumſpice quidquid
Ambit ſera dies, & flamma binominis aſtri,
Imperii pars magna tui eſt, rerumque vocari
Vel pars ſumma poteſt; ſed tanta potentia nulla eſt.

Hìc nullum ſi nomen habes : pro Numine Tellus,
Sol & adoratur, Diis aſpernantibus ipſis
Gentem hebetem, ſtolidéque piam, cum turpiter ad ſe,
Quæ Tibi debentur, videant deſcendere thura.
Adde, quod à reliquo terrarum corpore pars hæc
Scinditur; Antipodes quid ſunt, niſi fabula, viſi
Arboreique homines, quos credidit hactenùs ætas,
Ora ſolo, Cœlo rectas attollere plantas?
Ecce Aſia Europæ committitur, Africa utrique:
Nec maria impediunt, ſua quin ſibi mutua longè
Brachia protendant, & dona ſororia mittant.
Tu modo, ſi geniti ſunt uno tempore Mundi,
Conſule disjunctis, da Fratri cernere fratrem,
Alter & alterius dum noſcet, & ora viciſſim
Agnoſcenda dabit, mirabitur integer Orbis
Tunc ſe majorem, major noſceris & ipſe.
Atque ego jam rebar felicem temporis hujus
Adveniſſe diem, cum ditis ad oſtia Cubæ,
Auſpice Te, vidi properantem vela Columbum,
Quem modo (pro ſcelus infandum!) Phlegetontide ripâ
Tempeſtas effuſa ſodalibus abſtulit, inque
Orcarum fauces, dextram niſi porrigis, ibit.
Talibus orabat: lacrymas cum voce dediſſet,
Lumina ſi tingi lacrymis Cœleſtia poſſent.
Quod licuit, pariterque fuit ſpectabile viſu,
Vultum Oratricis rubor eſt in fine ſequutus:
Qualis ubi merſâ rubuere crepuſcula luce,
Reſtat adhuc Cœlo ſpecies emortua ſolis,
Et color, Aſſyriæ cuperent quem ſugere lanæ.
Tum Pater Æthereus vultu, quo nubila placat,
Reddidit hæc: tremuit concuſſo cardine Mundus,
Rurſus ut agnovit vocem, quâ duxerat ortum.

Parce

Parce Aretia queri, ſemel edita verba, perenni
Ære ligata manent, & non mutabile Numen.
Quas tibi promiſi jamdudum prodere, gentes
Se contra ſtantes, ignorantesque viciſſim,
Non ultrà latuiſſe ſinam: mea cura Columbus,
Et tua, primus erit, qui pectore clarus, & armis
Proferat in lucem; ſeries quem longa ſequetur
Inde Repertorum, quidquid telluris, & undæ
Ingens Veſper obit, totum retegetur ab iſtis,
Meta nec antennis poſt hac erit ultima Thule.
His ego conſtitui venturo tempore regnis
Reginam, Dominamque novis præfigere, quæ cum
Europâ, atque Aſiâ, Nymphâque Lybiſtide certet,
Par ſit ut una tribus, quartamque Sororibus addat.
Cara mihi ante omnes eſt Cubæ Filia Regis,
Barbara ſtirpe quidem, ſed tanto clarior inter
Barbaricas animas, quod non eſt barbara ritu:
Me colit, atque hominum nulli quod denego, Recti
Naturale jubar, ſic mens amplectitur, ut me
Inſcia quantumvis Diis præferat omnibus unum;
Attamen expectat radio propiore foveri
Cruda Fides, & adhuc cupiens emergere Verum.
Auriæ nomen, quæ luſtro penè peracto
Nomen Americo Tuſcæ telluris alumno,
Ducet Americæ, tantâque à Præſide duplex
India facta palam, gaudebit America dici.
Quare age rumpe moras, rapidis & labere pennis,
Æquor adi, compone minas, claſſem eripe damno;
Præcipuéque Ducem contra impendentia tela
Indorum, magicosque dolos armare memento.
Hæc ait, & ſe ſe radiorum nocte ſuorum
Claudit inacceſſum; tum feſti turba Senatûs
Solvitur: auditi tonitrus per inane ſonare.

Nomen Americæ meruit quod in æthere naſci,
Primus in argento bigæ memorabile ſculpit
Veſper, Americam violis in mille colorat,
Inque roſis Zephyrus, tremuliſque ſuſurrat in alis.
Tunc ptimæ, occiduæque domus porta alta dehiſcit;
Cœlicolæ ſuper effuſi ſpecularia, gaudent
Præflorare oculis nova regna, videre vetuſtâ
Migrantes ſtatione Deos, profugasque Megæras,
Et portentoſas ſcelerum rareſcere nubes.
Orbis ab exortu certè non tanta voluptas,
Cum fugerent elementa Chaos, reſcinderet aër
Indefæcatus craſſi commercia limi,
Nataque diſſidio natura venuſtior eſſet;
Quanta fuit ſuperis Orbem ſpectantibus Indum
In melius verti, & Romanum ſumere vultum.
Noſcere præſertim cura eſt, venturus in auras
Quæ loca XAVERIUS rimabitur, abluet & quot
Reges amne ſacro, quot denique ſanguine Divos,
Vulneribuſque paludatos tranſcribet Olympo.
India circa illum tota eſt, turbamque vel ipſis
Cœlitibus numerare labor: jam cogitat Æther
Heroas qua parte locet, pars illa probatur
Aëris, imbre vacans & libera nubibus, unde
Non obliqua ſuis appareat India Divis.
Aſt Aretia memor mandata faceſſere ſummæ
Mentis, opem legit ſedandis motibus aptam.
Norat, ut æterni Genitoris imagine visâ,
Prodit Amor velut è ſpeculo, quod & exeat illo,
Igneus idcircò eſt, nec flamma potentior ulla,
Orta repercuſſo geminæ ſplendore favillæ.
Tertia ſit quamvis, quamvis diſtincta duabus,
Æqua duabus ea eſt, ardorque ſimillimus igni,
Nil unum non eſſe ſinit, ſupera alta tenentes

Impa-

Imparé Perſonas numero ſic illigat, ut ſit
Unum ſcire tribus, tribus & quoque velle ſit unum.
Et ſpeculum, & flammam capit hoc Aretia miniſtro.
Tale quid ut peragat confidit in Infera monſtra,
Omnipotentis Amoris opus, cryſtallinus umbo.
Quale Syracuſas olim obſidione premente
Magnæ Urbis clypeus ſpeculum fuit, unde coëgit
Pro muris bellare diem, ſolemque nivali
Orbe laceſſitum medios excuſſit in hoſtes,
Marcello mirante faces, quâ parte, vel unde
Mulciber in naves, Ætnâ parcente veniret,
Nec mora, digreditur Cœlo, librataque pennis
Inferiora ſecat: geſtat manus altera tædam.
Altera cryſtallum: decori eſt fax ipſa ferenti,
Cujus ab aſpectu diſcit quoque flamma nitere.
Quà graditur, clareſcit iter, nec deſuper albet
Lacte magis, quàm qui trames deſcribitur infrà.
Jamque peragratis Europæ finibus omnis
Venerat Atlantem ſupra, ſpeculataque corpus
Montani ſenis, à glacie concreſcere barbam,
Umbrari nimbis humeros, Aquilone moveri
Piniferum caput, & fluvios deſcendere mento;
Riſit ad humanæ mentis deliria, nunquam
Sana minus, quam ſimplicitas cum ruſtica Mundi
Credidit unâ hominis Cœlum cervice ſedere.
Præterit hunc, ſpatiumque immenſarum intrat aquarũ:
Mortis plena metu videt omnia, ſtridere nubes,
Et mugire feras, & hianti velle videri
Ore vorare viros, ratibusque aſſurgere prenſis.
Tùm quod Amor potuit ſuadere, ſuaſit amanti,
Ferre ſuis properanter opem: ſtetit Æthere pendens;
Dein ſpeculo converſa facem ſic aptat, ut ignis
Editus ex illo, referiret fulgure Claſſem.

Miſſa ſagittiferæ proh quanta potentia gemmæ!
Attigit Hiſpanos vix lumen amabile ſenſus,
Ora per, & fibras, oculosque nitore trementes
Miſſilis intrat Amor: turbata repente reſidunt
Pectora, de manibus cadit enſis, amantia collo
Bracchia ſuſpendunt, properatur ad oſcula, quantùm
Irati fuerint, vix ut meminiſſe liceret.

Hæc ubi facta videt, non ceſſat fervida Virgo,
Diverſorum operum flammantia tela vomentem
Cryſtalli pharetram convertit Erynnida contra.
Penè ſimul nexu glaciati frigoris ardor,
Fortius incaluit, quocumque potentior ictu
Fulmineo excutitur: Diſcordia tacta dolorem
Non tegit: auditum Gades ſuper, Antipodasque
Clamorem tollit, Gradivus Homericus olim
Qualem habuit, validâ Diomedis cuſpide fixus.
Ulterius nec ferre locum, nec paſſa videre
Dulcis amicitiæ dare mutua ſigna Sodales
Jam placidos: pelago fugit indignata relicto,
Multa fremens, repetitque extinctâ lampade Manes.
Illâ abeunte redit Concordia priſtina, neve
Infera plus poſſet, quàm fax divina valeret,
Et melior rebus, citiúſque revertitur ordo:
Cœruleus Cœlo, color eſt argenteus undæ:
Quæque feræ paulò ante truces, jam pace reversâ
Claſſis ad obſequium tantùm geſtire laborant,
Illius in cladem quantùm ſævire coactæ.

Sic ubi Libertas antiqua Tyrannide pulsâ
Inde pedem retulit, Cives in gaudia laxant
Certatìm frænos, quos ante coërcita duri
Principis imperio patientia muta momordit:
Feſtivum populare fremit, ſibi magna voluptas
Vix credit, creſcitque malo collata priori;

Non ſecùs à pelago poſtquam Arbitra diſſidiorum
Exauthoratas fugitiva reliquit habenas,
Territa Progenies ſtationis aquatilis, intrà
Quæ ſe condiderat timidi penetralia Nerei
Exilit, & feſto declarat gaudia vultu.
Tunc vitreis auſæ ſtagnis emergere Nymphæ,
Drymoque, & Xanto, Panopæaque, Doris, & Ægle
Crinibus & pexis, & odoræ tempora ſertis;
Tunc in puniceo viſus velamine Glaucus
Comptior, ambroſiæ latices diffundere mento:
Viſus & ornatu non aſpernabilis algæ
Lætior in Matris gremio ridere Palæmon.
Ipſe etiam non ſponte, prius qui verſus in ignem,
Rurſùs in effigiem Paſtoris, & ora reverſus,
Fert baculum Proteus, & quæ cantaverat antè
Pectore fatidico lætus ceſſiſſe futura,
Feſta jubet pecori celebret ſpectacula, ducant
Delphines choreas, Syrenes carmina dicant,
Corrigat in melius litui ſua murmura Triton.
Si tamen & Superos noſtro venientia Mundo
Gaudia pertingunt, etiam tunc luſibus illis
Viſa Aretia frui: gravior ſed corda premebat
De Duce cura ſuo, terræ cui deferat, & quo
Hoſpitio relevet: dubitanti proxima menti
Occurrit Teneriſſa, biverticis Inſula Jani,
Armidæ quondam cantatis inclita muris,
Unaque de ſeptem felicibus Inſula felix.
Deſtinat ire illuc, tantóque libentius, arcum
Quod ſcit ibi erectum Jano, portamque tremendam:
Eſſe etiam in fatis, ea donec clauſa maneret
Janua, nulli hominum penetrabile limen ad Indos.
Mobilitate pari, quâ concipit, exequitur mens.
Ut ſtetit; ante oculos ſpelunca apparuit ingens,

Plan-

Plantarum veterum caligine furva, ſatisque
Horrens nocte ſuâ, quamvis cantamina deſint.
Huc ullas nec Paſtor oves, nec aratra Bubulcus
Ducere, non auſæ volucres inſiſtere ramis,
Cujus & in fauces nemo, niſi devius intrat;
Sed longè, digitoque ſolet monſtrare viator.
Experta Diva metûs circumſpicit omnia, portam
Utque bipartitos inter conſurgere montes,
Impoſitumque fores ſuprà videt inſuper arcum,
Perlegit hunc alto cælatum fornice verſum:
*Janua pandetur nulli, quæ ducit ad Indos.*
Carmine ſubriſit lecto, ſibi parcere Dia
Nec potuit, quin hæc ſecum: fiducia victos
Qualis habet Manes? etiam poſt tartara, tollunt
Sublimes animos! primi affectare nec horrent
Jus domini, ut ſperent tot jam per ſæcula clauſum
Occaſum, clauſum quoque tempus in omne futurum!
Experiamur, obex ſit ineluctabilis iſte
Ulli hominum: dixit, nutuque agere omnia mentis
Quo ſolet, inciſum jubet evaneſcere carmen.
Mox aliud, ſcriptumque notâ meliore reponit:
*India pandetur, Patriam cui Janua fecit.*

LI-

# LIBER II.

COEPERAT adventu lucis rareſcere velum
Obſcuræ Matris, fugitivaque ſomnia partim
Stramine plebejo, partim Sidonide lanâ,
Muta ſoporiferi repetebant atria Regis;
At prædæ, de nocturno quas Orbe ferebant,
Errorum vectigal erat. Jam grandior umbra
Morpheus, è fabris larvalibus ultimus, antrum
Clauſerat, & de ſopito deliria Mundo
Plura licet tulerit, vigili majora reliquit.
Tum roſeum per iter viſa eſt Aurora venire,
Inceſſu teſtante Deam: de prole futurâ
Vivit, & ornatur Genitrix brevis: æmula prolis
Eſt, à prole tamen; nè quærite, qualia Terris
Munera largitur, ſatis eſt promittere Solem.
Læta aliis, nautarum oculis lux orta retexit
Iratæ noctis faciem; patuere, trophæum
Turbinis, antennæ laceris hoſtiliter alis,
Quaſſatæque trabes: malus, qui gloria Claſſis
Nuper erat, nomenque prior monſtrarat Iberum
Oceano, dederatque ſuum cognoſcere Regem,

Jam

Jam modò truncus iners, veterumque oblitus honorum
Roſtra ſuper mutilus trahitur, qui roſtra trahebat.
At ſua dum ſpectant taciti mala, donaque fati
Vivere ſumma putant: ſpirans à tractibus Euri
Dulcis odoratæ veniebat anhelitus auræ,
Ambroſiæ qualis ſolet eſſe, animæque Sabææ,
Terra ait Almirus puppi ſpeculator ab altâ,
Terram prodit odor patrius: cum diceret, ecce
Terra in conſpectu, ſed nulla beatior unquam;
Utpotè de rebus mortalibus unica, rarum
Nacta decus, tractu longi ne temporis eſſe
Deſineret felix, & fortunata vocari.
Scilicet in ſpeciem ſcenæ conſurgere viſa
Inſula Canariæ Princeps, mitiſſima Cœlo,
Altaque proſpectu nemorum, molimine portûs
Nobilis, ingenio luxûs, & idonea ſedes:
Saturni profugæ meritò credantur ut illic
Degere relliquiæ, naſci ſine ſemine flores;
Temperies Zephyri durare perenniter, anni
Ver neſcire vices, & pleni nectare fontes.
Gaudia tunc auſæ mentes admittere primùm,
Credas ærumnis fractas, uſuque dolendi
Dedidiciſſe frui; miſeri ſed gaudia quamvis
Ipſa reformident, ſuſpectaque terra minetur,
Quâ ratione tamen poſſunt, ad proxima vertunt
Litora, naufragii fruſtum miſerabile, proras.
Sic ubi Niliacas monuit migrare Syene
Spes Latiæ telluris aves, facto agmine, ſe ſe
In nubem glomerant: venientibus à pelago ſi
Forte ſubobſcuram Tyrrhenæ Regia Circes
Admovet Italiam, quamvis via plurima reſtet,
Viſa fatigatas reficit vicinia pennas,
Accelerentque jubet; nec corda improvida norunt,

Ornet ad inſidias quæ retia litus amatum.
Hæc inter vigili ſpeculans Diſcordia ſaxo,
Viderat Hiſpano ſpoliatas Præſide pinus,
Invalidasque labore viæ; quantúmque ſuperbit
Læta tuens ignominiam, miſerandaque viſu
Carbaſa, tantùm etiam timet anxia, ſaucius hoſtis
Ne reparet vires, vetitumque renaviget æquor.
Nè faceret, bellum movet alterum, & altera tela.
Canariâ in magnâ Fortunæ nobile Templum
Stabat, & Antiſtes, præerat quæ maxima Templo,
Quòd fortunatis gentes illudere vanas
Sciret imaginibus, nomen Theromantis habebat.
Deſtinat hanc tenebris ſub opacæ noctis adire;
Non tamen ante adiit, quàm ſe mutavit in almæ
Os, habitumque Deæ, & meruit Fortuna videri.
Partem albo, partem veſtis diſcriminat atro,
Sortis & indicium ſub utroque colore notavit:
Lege dedit nullâ tergo fluitare capillos,
Sumit & inceſſum, qualemque agit improba motum
Rebus in humanis, talem jubet inter eundum
Aſſimilare pedes, ut paſſu corpus in omni
Altera de plantis demittat, & altera tollat.
Tunc ſic agnoſci facilis Theromantidos Ædem
Intrat, & oh! dixit, famularum prima mearum,
Laude veneficii quæ longè Cholchida ſuprà,
Circenque aſſurgis; neque enim mala fortibus herbis
Uſa, quibus potis animæ jubeantur ab undis
Humanâ ſub mente cutem veſtire ferinam:
Vis tua nobilior: cognatæ parcere formæ
Mitis amas, animos tantùm tibi vertere curæ eſt.
Hos quoque nec crucias, blandâ ſed imagine paſcis,
Ut, quæ ficta vident, mereant non ficta videri.
Et quid obeſt, bona ſi deſint, modo cœperis uſum?

Tan-

Tantùm quis felix, quantùm ſe judicat eſſe.
Gens inimica mihi, quàm primùm, naufraga proras
Huc aget (irarum cauſas ne quære mearum)
Hanc ego perculerim Protei licèt agmine toto;
At, quia naufragium citrà fuit, increpo fluctus
Ut nimis imbelles, & inanes dentibus Orcas.
Ni properem, vereor ſylvam nè cædere noſtram
Audeat, expertam nullas hùc uſque ſecures;
Et faciet. Novi gentem, ſpes urget Iberus,
Quas ſemel arripuit, cuicumque occurrere fato
Impavidus cervice novâ: quò meta recedit,
Vota magis creſcunt, irritanturque retenta.
Tu modo per ſimulacra modis volitantia miris,
Fortunatarum rerum ſic objice formas,
Molliter ut capti, pars plumâ ignobilis otî,
Pars opibus, credant hìc aurea regna, nec ultrà,
Quos reperire parant, Indos reperire laborent.
Talia dicta dabat; cum diceret, illa tenebat
Ora intenta Deæ, totamque medullitus hauſit.
Sponſa gravis veluti, bibulo ſi lumine ſæpè
Majorum vultus depictos atria circum
Viderit, ex ipsâ picturâ pingere Matris
Neſcio quid diſcunt oculi, natoſque figurant,
Dum mirantur avos; falſi ſic Numinis ora
Dum videt Antiſtes, penitùs ſub corde recepit.
Olli pauca refert: non eſt cur Diva moreris;
Facta puta, quæcumque jubes: Tibi velle, meumque
Poſſe ſubeſt: miſcere voles ſi Tartara Cœlo,
Hùc hùc adventare jubebo animalia centum,
Sphingas, & Harpyjas, Centauros, Gorgonas, Hydros,
Plutoni in pompam ſtabuli quæ Græcia miſit.
At, quia non tetricas patitur molliſſima larvas
Inſula, ſacra tibi, ſimul & dilecta Lyæo,
Utat

Utar amabilibus, locus hic ut poſtulat umbris.
Dixerat: illa abiit, juſſis obtemperat iſta.
Lux aderat, quâ Thebano de more, ſolebant
Orgia Canariæ Matres celebrare Lyæo.
Undique convenere, vocat quò nobile Fanum
Fortunæ, Bromioque ſacrum; nunquam hoſpite tanto
Undavere fores, nec victima largior unquam
Viſa coronatam cultris ſubmittere frontem.
Ergo, ubi lanigeri biberat ſatis ara cruoris.
Ritibus inſtaurant priſcis Trieterica: nemo
Non ſacer eſſe cupit, per quæ non eſſe meretur.
Thyrſo armare manum, frontem obſcurare galero,
Obvia quæque ferire, impellere, perdere flammis,
Credita Relligio, ſed vero nomine bellum eſt.
Nox favet, illicitoſque auſus hortantibus umbris;
Obruitur cum luce pudor, tutumque putatur,
Quod Lunâ fit teſte nefas; ad turpia lentis
Dant animos tenebræ, peccantque licentius inde,
Quod metuant peccare palam. Quis crederet unquàm,
Criminis ut poſſet ſuadere modeſtia crimen?
Jamque catervatìm reſerato cardine Templi
Mænades irruerant: credas bellantis Iani
Delubrum patuiſſe, furens dum fœmina prodit.
Tigridis in maculis hæc diſcolor, illa Leonis
Horret ab exuviis, crinalibus alta colubris
Temperat hæc incompoſitos ad tympana ſaltus,
Fumida pars quaſſat redolentem ſulphura pinum,
Et noctem fugat igne ſuamque illuminat iram.
Certatur furiis, metuunt deliria ne ſint
Sobria, lymphatas rapit hùc, rapit impetus illùc,
Utque errore animi, gaudent errore viarum.
Ventum erat ad portus, ubi poſt ludibria ponti,
Hiſpani, fractis cum navibus omnium egeni,

Carpere primam auſi per dura ſedilia noctem:
En fragor: excutitur ſomnus, ſtratisque relictis
Arma manu rapuere, datoque in litore ſaltu,
Alvarus, Alphonſus, Rodericus, Didacus, Oſcus,
Erumpunt omnes, & dum quæ cauſa tumultûs
Quæritur: ecce inter tenebras clareſcere viſæ
Baſſarides, cinctæ colubris, longéque tremendæ
Vibrato ſplendore; ferant quòd lampada, & hydros,
Sint furiæ dubitant, an Mænades: eſſe putarent
Eumenides potius, niſi quod non poſſidet Orcus
Tiſiphonas hilares, exultantesque Megæras.
Jamque aderant lymphatæ acies, jactoque parabant
Igne cremare trabes, quibus antè pepercerat unda,
Cum tamen Hiſpani patuere in litore nautæ,
Et videre viros, & torva viriliter ora,
Armaque, déque armis geminantia fulgura lucem,
Fœmineæ tremuere manus: mirúmque quod illo
Stantibus articulo rerum, ſomnoque, meroque
Mentibus oppreſſis, tantum rationis ineſſet,
Conſiliique; ſed ante oculos cum ferrea Cloto
Unguibus armatis, & lana noviſſima pendet,
Tunc meminit natura ſui, tunc vivere diſcit,
Qui nunquàm didicit, timor ultimus erudit omnes.
Occupat inſidiis tempus, quamcumque figuram
Sumere, & actutum Theroinantis ponere ſolers.
Componit faciem, veneres accommodat ori,
Leniter & flexa in riſum, qui veſte latebat,
Ex improviſo ramum manifeſtat olivæ;
Et pacem geſtamus, ait, non arma, nec iſtæ
Lampades arſuris intentant navibus ignem:
Non ea barbaries, nec tanta licentia Ludis,
Ut, quod apud cunctas jus eſt venerabile gentes,
Hoſpitii, portûsque fidem violare velimus.

Sacra per hos ritus Baccho damus, Inſula mitis
Huic dilecta Deo; dilectaque diligit illum,
Artifici nec in ære colit, nec marmore tantùm
Parca Superſtitio, ſub corde receptat, & intrà
Ebibit: humani cancelli neſcius hoſpes
Divinus, furit impatiens, extráque vagatus,
Cum ratione rapit ſenſus, & pectus inundat.
Hinc choreæ nobis, & fœminei ululatus,
Signaque ſtultitiæ, ſed numquàm magna voluptas
Pervenit ad ſummam, niſi cum furor incipit eſſe.
At vos, non humiles quoniam decus arguit oris,
Dicite, quinam eſtis, quibus hùc veniſtis ab oris,
Quovè tenetis iter? Reddit cui talia Vaſcus.
O' niſi ſigna ſacræ gereres Antiſtitis, ipſa
Ut Dea digna coli, cui tàm pia contigit ergà
Mens miſeros, & prona malis ſuccurrere, quodque
Pulchrius eſt, prævertis opem, renuiſque rogari,
Munus ut ante preces veniat minuatque pudorem.
Quos ſpectas, homines, hùc indignantibus undis
Ejectos, ſumus Hiſpani. De Gadibus auras
Sortiti faciles: nec nos ſpes ſordida lucri
Impulit Heſperiæ natale relinquere Cœlum,
Antiquasque domos, animas & vendere ventis;
Oceanum Regnatori ſcrutamur Ibero,
Quærimus & regnis ingentibus appendicem
Addere, naturæ finem, Antipodasque ſepultos,
Et vectigalem tumulum ſubmittere Solis.
Fernandi nomen Regis, quod grande, potensque
Toto Oriente ſonat, poſitis ſub veſpere terris
Ferre parrabamus; tempeſtas invidia votis
Obſtitit, incubuit claſſi, qualemque videtis,
Talem Canariæ vomuit, non intulit oris.
Noſtràque ſors adeò ſed nec miſerabilis eſſet

Cladibus in tantis, modo ſi Columbus adeſſet
Duxque, comesque viæ, delinitorque malorum.
Hunc vivum ſeu pontus habet, ſeu lumine caſſus
(Quod ſuperi avertant) deſertâ truncus arenâ
Squallet iners, funusque recens circumvolat umbra,
Num volucres inhumata cubent ſuper oſſa marinæ,
Prorsùs in ancipiti eſt: quod certum, tota remanſit
In manibus ſpes noſtra tuis. Da litoris uſum,
Et reparare rates, non ut temeraria rursùm
In male tentatas mittamus carbaſa terras;
Spes altæ cecidere, quibus paulò ante carinis
Viſa Europa parùm, votorum ſumma remanſit
Poſſe redire domum, patrioque ſeneſcere nido.
Oceani fines innabilis, Antipodasque,
Quos voluit natura latere, latere ſinamus.
Plura locuturum fucatis callida verbis
Corde tegens odium, ſic interfata ſacerdos:
O', mihi quos charos ex nùnc amplector amicos,
Externi Juvenes, iraſci abſiſtite, neve
Ignari culpate Deos, quin reddite grates
Neptuno, & Ventis, & Diis Authoribus horum.
Non alitèr, quàm ſic, terras intrat beatas,
Quas habitat Fortuna licet, quos diligit, antè
Erudit adverſis, legiturque futurus amicus,
Non niſi cui patuit, quantùm fuit ante timenda.
Quare agite, & quoniam non hùc ſine numine Divûm
Veniſtis, læti tectis ſuccedite noſtris.
Si Terra à vobis petitur nova, Terra profectò
Iſta vocanda nova eſt: habet hæc quod habetur ubique
Omnibus invidioſa plagis, atque invida nulli.
Hìc Hyblæ flores, hìc & Phæacia Tempe,
Hìc & opes, quarum cum vobis obvia fiet
Copia, dicetis: quàm pauper Iberia noſtra eſt!

De-

Denique ne teneam vos pluribus, omnia dicam,
Vos fore felices ſi dixero; namque beatum
Nil ſuprà, vetuit natura beatius eſſe.
Hæc ait, & manibus prenſos in Regia ſecum
Tecta venire jubet, curruque invitat eburno.
Lætitiæ promi mox irritamen Iacchum
Imperat, ipſa ſcyphum prior accipit, hoſpitibusque
Rite ſalutatis pleno ſe proluit auro.
Nec ſegnes illi officiis certare receptis,
Dant largo reſponſa mero. Mox cætera turba
Juſſa facit: poterant admoto protinus ore
Exſiccare cados, major ſed viſa voluptas
Si ſimul in partem potûs pupilla veniret,
Rubraque ſpumaret vitreo cratere ſenectus.
Ergo coronantur calices, repetitaque largo
Prodiga Canariæ vindemia perditur hauſtu.
Utque ardens gelidâ cum lamina mergitur undâ,
Stridet; ab epoto ſic inſtigata Lyæo
Turba recandeſcit, clamoſaque pectora tollit.
Exululant, Evoëque ſonant, vinoque Magiſtro
Ingenium fluit in plantas, dictatque choreas.
Sic feſtos inter lituos, & ſtridula buxo
Cornua, ſaltatusque nigros, Theromantis Iberos
More triumphali penetralibus intulit aulæ.
Ut venere, viros epulis auguſta ſuperbis
Menſa vocat: ſedere toris, & quamlibet Ædis
In partem vertere oculos, vaſa omnia credunt
Palmis tacta Midæ, ſignataque Mentore multo.
Ancillæ centum, totidemque ætate Miniſtri
Ore omnes, annisque pares, referuntque feruntque
Emendicatos elementa per omnia guſtus.
Erigat utque gulam novitatis gratia, mutant
Mille meri ſpecies, & acumina mille ſaporum.

Altera neù deſint paſcentia dulciter aures
Fercula, Cantores gemini vocalia juſſi
Metra ligare lyræ modulis; canit alter Iacchi,
Alter Fortunæ laudes, & ſæpiùs inter
Cantandum, hæc conjux, & dicitur ille maritus.
Ut dapibus placata fames, menſæque remotæ,
Tum ſic Vaſcus ait, ſi vera eſt fabula, cantu
Non Corcyræo ſic emollitus Ulyſſes,
Demodoco ad numerum Trojæ memorante labores;
Quales melos præſens noſtram ſtillavit in aurem.
Scire tamen cuperem (ni pandere fortè graveris)
Fortuna, & Bacchus quâ ſint Junone jugati.
Græcia nam mendax, cum tot connubia ponat
Aſtra ſuper, nullumque adſit ſine conjuge Numen;
Unum hoc præteriit. Cunctis audire voluptas
Eſt eadem, largéque cibis, vinoque refectis,
Dulce ſit alloquiis vigilem producere noctem.
  Dixerat. Æqua viri petitis, tùm Regia Vates
Reddidit, occurram votis, nec gratior ulla
Res mihi, quàm gentis ritus edicere noſtræ,
Et cui juncta Deo Dea ſit Fortuna, docere.
  Eſt ubi Canariæ nunc Inſula, Rex fuit olim,
Et Regina, diù prolem non ſegniter ambo
A Superis petiere, diù caruere petitâ.
Edita de pulchrâ tandem eſt genitrice puella;
De quâ ſcituri divinum oracula Patres
Protea cùm peterent: Hæc feliciſſima, Vates
Dixit, erit, ſi Virgo viro non nupſerit ulli.
Vatis ab augurio dubium, genitrixque, paterque
Lætentur, doleantve magis; Quòd Filia lætos
Sit viſura dies, lætos jubet eſſe parentes:
Quòd foret hæc eadem nulli nuptura virorum,
Eſſe jubet triſtes: vatis tamen omine, natam

Di-

Dixere Eutychien, &, ne felicia fata
Mortalis turbaret Hymen, ea prima parentum
Cura fuit, ne virgo ſinum laxaret amori,
Virgineos ignes teneris dùm ventilat alis:
Diſceret at ſylvas inter pharetrata Dianæ
Miles amare metus, animoſaque ſemina laudis.
Crevit, & in florem vix prima eruperat ætas,
Tunc animus patuit pharetræ juratus, & haſtæ;
Non genitus ſervire colo, nec nobilis unquàm
Dextera ſuſtinuit muliebri incumbere fuſo,
Aut gravis ad tenuem deſcendere faſtus Arachnen;
Munera faſtidit, faſtidit amata puellis
Otia, non illi vultus quæſitus ab arte,
Sedula nec ſpeculum de crine interrogat omni,
Cujus ab aſpectu puduit pendere, ſuamque
Neſciret faciem, niſi dùm radiantia tractat
Sæpius arma manu, primò vidiſſet in illis:
Vidit, & erubuit, quòd amari ut fœmina poſſet.
Deſtinat ulciſci: de Tigride ſumit amictum,
Commodat ipſa animum, ne quid de Tigride deſit.
Non alio ornatu mediis incedere ſylvis
Venatrix, quàm quo fieret metuenda, ſolebat.
Venatrix ſed nulla fuit felicior illâ;
Eminùs aut jaculis, aut cominùs utitur haſtâ,
Conſequitur quodcunque petit: majora cupitis
Quin habuit. Capream confoderat inſcia, matrem
Invenit, atque ipſo peperiſſe ex vulnere fœtus:
Tergoribus fugientis apri direxerat arcum,
Intima mortiferum penetrarat in ilia ferrum.
Facta quidem nondum fuerat Fortuna, ſed ante
Quam fieret, ſibi tunc tanquam Fortuna favebat.
Auroræ interea domitor, nè neſcius uvæ
Eſſet & Occaſus, terris his appulit Evan,

Fortunæ nondum meritis à nomine nomen,
Forte epulis, ſomnoque gravis, ſeque ebrius ipſo,
Ilicis ad nigræ caput inclinaverat umbram;
Ante pedes Domini cyathi, thyrſique jacebant,
Per vallem juſſæ tigres errare ſolutæ.
Proximus anguis erat ſylvâ nutritus in illâ
Deſidiâ piger, & ſquammarum mole, ſuoque
Æquævus nemori: qui captus odore recentis
Illicioque meri, curſum deflectit, ubi altùm
Stertebat, proprio perfuſus nectare, Bacchus.
Ut faciem vidit, timidus num tangeret, hæſit.
Aſt oculo poſtquam præcontrectavit edaci
Æger, hians, prædam ſuper inſilit: auſus & idem
Ter, quater (heu facinus!) ſpiris circumdare preſſis
Lactea colla Dei, rectâ cervice ſuperſtat
Sublimis, ſpectatque avidus ſua fercula prædo:
Ambigeres, teneat ſtupidas reverentia fauces.
Ecce autem ſpoliis, & cæde ſuperba ferarum
Adſtitit Eutychie: ſic illam fata ferebant.
Quæ ſimul ac juvenem placidè requieſcere ſenſit,
Ora viri averſata, fugam celerare parabat;
Feciſſetque etiam, ſi non vidiſſet & unà
Criſtati capitis radiare minaciter auro
Serpentem, vibrantem unâ tria ſibila linguâ.
Reſtitit, & properæ pietatis imagine tacta
Enſem fulmineum denudat, & effera colla
Surgentis colubri primo feliciter ictu
Amputat, icta volat ſuper arboris ardua cervix:
Hæſit ibi, & ramum moriens rabido ore momordit.
Altera pars anguis, quæ collum amplexa tenebat,
Vi quantâ valuit, coit in ſua membra, cadaver
Ut ſparſum reparet, mutilosque recolligat artus,
Impete compreſſus valido tum denique Bacchus

Excu-

Excutitur, plenus monſtris, dumque aëra quærit
Quid magis expaveat dubius ſterit, annè paratum
Quod videt ante oculos, & ſtillans ſanguine ferrum;
An ſua circumquaque ligantem membra Chelydrum.
Læva repente volubilium cingentia collum
Vincula ſquammatum repulit, mox dextera in haſtam
Ibat, & in thyrſum, cui ſic invicta virago.
  Quiſquis es hoſpes, ait, quid in arma ferentia pacem
Arma paras, contraque tuam furis ipſe ſalutem?
Quod vivas, noſtro debes, quem neſcius enſem,
Ignarusque times: niſi tempeſtiva nocenti
Veniſſem vindex, te nunc horrendus haberet
Gutturis in caveâ, ventrisque voragine ſerpens.
Accurri properè, quo tempore ferre parabat
Fata tibi, tunc fata tulit, fudique cruorem,
Cum ſuper ipſe tuum cervice arrectus hiaret,
Doctus ab arte gulæ guſtatu luminis ante
Irritare famem. Vultus attolle, ubi cervix
Anguis pendet adhuc, fixitque in ſtipite dentem,
Atque tui deſiderium crudele reliquit.
Hinc modo liber abi, neque enim ſatis ebibit arcus
Sanguinis iſte meus: juvat ò, modo Delia præſit,
Inſignire diem fulvâ cervice Leænæ.
Jamque vale. Dixit, volucrique citatior aurâ
In curſum laxabat equum, niſi promptius ille
Iſſet, & oppoſitis manibus tenuiſſet habenas,
Clamaſſetque dolens, quo me crudelis abire
Nympha jubes, liceat... ne poſſit dicere plura
Virginis ira vetat: procul hinc, temerarie, dixit,
Contactus remove, vultus invita viriles
Huc ſatis usque tuli, mea me pupilla nocentem
Ne faciat timeo, timeo ne fecerit, & ſim
Jam rea tota, aliquâ certè ſum parte prophana:

Nulla levis culpa eſt in virgine, lumina poſtquam
Te mea viderunt, metuent ſpectare Dianam.
Quare age, tolle moras, temerataque fræna relinque.
Deſeruit non ſponte Deus: tum libera virgo
Quadrupedantis equi calcaribus incitat armos:
Cum fugeret non viſa minus formoſa, ſerenos,
Quos intrat jubet eſſe ſpecus, & ſyderis inſtar
Signatam ſplendore viam poſt terga relinquit.
Quis tibi tunc animus mitiſſime Bacche Deorum?
Cum fugeret Nymphe, quòd ſis ſervatus ab illâ
Eſſe cupis gratus; quod grates illa recuſet,
Hoc facit, ut cupias gratus magis ipſe videri;
Quódque ſevera ſit illa tibi, quòd nolit amari,
Quòd nec amare velit, magis hoc irritat amorem,
Fugerit illa licet, fixum eſt reperire fugacem,
Vultque audax potius, dum non ingratus, haberi.
Sed quid aget? fugit illa viros, timet ipſe puellam,
Affari ſi forte viri ſub imagine tentet.
Illa feras ſequitur, ſub pelle latere ferinâ
Eſſe putat ſatius: mox optatiſſima fandi
Tempora cum veniant, inſignia priſca reſumat.
Immemor ergo ſui Bacchus, Semelesque, Jovisque
Tigridis induitur formam, ſed pulchrior illâ
Nulla fuit: ſic terga nitent pellucida ſetis,
Ut Seres neviſſe putes; ſic vellera raris
Diſtinguit maculis, ſpatiis ut rite locatis
Sydera diſſociat, ne turbam ſentiat Æther.
Nec mora, pone premit rapidæ veſtigia Nymphæ.
Area forte fuit vitreis ubertima lymphis,
Atque ita virgultis diffuſis ordine certo,
Præbeat ut faciem genialis ſylva theatri:
Eutychiæ ſedes, quo ſe referebat ab æſtu,
Emeritum poſtquam venando fecerat arcum.

Illius

Illius ancillæ, dedit ut tuba ruſtica ſignum,
Hùc quoque conveniunt, intermiſſoque labore,
Quas laqueo cœpere feras, aut alite telo
Apportant Dominæ, pedibusque adſternere certant.
Illa datis gaudens aliena examinat acta,
Illius acta probant famulæ, laudataque laudat.
Forte recenſebat prædas, cum viſa repentè
Tigris adeſſe loco, ſed prælia nulla movebat
Nullæ in fronte minæ; facilè ut dignoſcere poſſes;
Longè aliud quam tigris erat, ſub tigre latere.
Quam ſimul ac vidit, celerem iuveniliter arcum
Strinxerat Eutychie, jam jamque haſtile rotabat;
Reſtitit, ut blandos adeò ſub corpore mores
Sentit habere feram: non hoc dignabere telo
Victima vilis, ait, petitur mihi fortis, & audax;
Difficilisque cruor: pudet inclinare pharetram,
Optantique mori mortem dare, vincula collo
Ocyùs, ò comites, innectite: vincla recuſat
Si fera ferre, cadat; vivat, ni ferre repugnet.
Juſſerat: haud cogi fera nobilis expectavit;
Inſerit ipſa libens in ferrea vincula collum,
Gaudeat & tamquam Dominæ captiva teneri,
Dat pedibus choreas, conceptaque gaudia promit;
Lætior hac unâ Eutychie, quàm mille peremptis
Illâ luce feris, quæ per compendia ducit
Ad tectum regale viam capit, & jubet unà
Pone graves ſpoliis nemorum deducere currus.
Regia contigerat jam limina, feſſaque poſtquam
Membra brevi requie, tepidâque refecerat undâ,
Tum quod erat magnæ clauſum penetralibus aulæ
Invitat geniale nemus, cui pergula ramis
Ex hederâ & lauro ſociam facientibus umbram,
Alta figurabat viridis curvamina Cœli,

Apta

Apta cibis ſedes. Hic lauto menſa paratu
Tunc erat: accumbunt proceres, Materque, Paterque,
Nataque, Sidoniumque ſuper diſcumbitur oſtrum.
Dumque vacat condire dapes ſermone, jocisque,
Incipit Eutychie: ſi lux fuit ulla, parentes,
Votis æqua meis, fuit hæc æquiſſima certè,
Quâ mihi plus ſolito viſa eſt Diana favere,
Plus etiam quàm velle ſat eſt; ut cætera mittam,
Capta mihi tigris eſt, quamvis, ut vera loquamur,
Ipſa capi voluit, mollis, tractabilis, & quæ
Plus hominis, quam tigris habet: neu credite dictis,
Viſa fidem facient. Dederat vix talia Virgo,
Ecce trahebantur lætæ ſpectacula menſæ
Arborei currus, & curribus addita præda:
Imbelles primum Lynces, Damæ, Leporesque,
Capreolique, ſed ex humili farragine cervos
Alta coronati capitis diſcriminat umbra.
Segnius inde gravi ſub mole gementia plauſtra
Ferre laborabant animas ad prælia natas:
Quod riget hirſutum ſetis, quod dente tremendum,
Conſpicuumque jubis, agreſtis ſarcina pompæ eſt:
Victores poſt terga canes, oſtendere tamquam
Exuvias tumeant, & ſordibus ire decori,
Lambunt exertâ cædis veſtigia linguâ.

Ultima tigris erat, longum quæ clauderet agmen,
Ut ſtetit in medio, qualis Deus eſſet in illâ
Prodidit Eutychie: vidit, quam forte tenebat
In manibus, pateram plenam fluvialibus undis
Scintillare repente mero, liquor ille quid eſſet,
Neſcit adhuc, laudatq; tamen ſpeciemque, coloremque,
Aut putat in ſuccos animam fluxiſſe roſarum,
Aut de Sidonio tinctas medicamine lymphas.
Dum ſtupet, inceſſit menti male ſana cupido
Explo-

Explorare labris, cujus foret unda ſaporis.
Os timidè primum ſtillatis admovet uvis,
Laudat, & ignorat ſua ſe laudare pericla.
Tum magis, atque magis vi delinita rubentis
Lætitiæ, incumbit cyatho, nec labra removit
Ante, ſitim pleno quàm nectare merſerit omnem;
Incaluere fibræ, ſubitoque rubere rubore
Continuo facies, ut candens lamina cœpit.
Protinus inverti mores, rationis acumen
Obtundi; inque vicem, mentem ſubire tenebræ;
Erroresque vagi, cœcique oblivia recti.
Exululat conata loqui, Bacchantis & inſtar
Jam manibus thyrſum, jam tympana poſcit, & haſtam,
Et quem non norat, jam nominat. Oh! ubi Bacchus,
Bacchus ubi? exclamans. Audito nomine Bacchi,
Bacchus adeſt, inquit, tigridiſque removit amictum,
Exhibuitque Deum, ſed qualem nuper in antro
Viderat Eutychie niveâ cervice reclinem,
Anguis & à nodis innoxia colla revinctum.
Ilicet obſtupuere omnes; ſentire nitorem
Viſus & ipſe locus: nam quæ convivia ſupra
Cedrina textilibus pendebat pergula ramis,
Numinis imperio ſubitam mutatur in ulmum.
Ulmus erat, deerat vitis, neve iſta deeſſet
Solvitur implicitus de gutture Numinis anguis;
Mox ulmo adrepens, ſeſe unit, & implicat illi.
At dum per ramos, & brachia frondea ſerpit,
Vertitur in vitem, quæ ſerpere diſcit ab illo.
Dumque ea monſtra vident, novitas rapit altera ſenſus;
Nam ſimul ac junctæ ſociis amplexibus ambæ
Vitis, & ulmus erant, maturam pampinus uvam
Explicuit, ſupraque Deum Deus ipſe pependit,
Uvaque ſi flava eſt, ſerpentis flavet ab auro.

Et

Et nocet hæc eadem, quod ab illius orta veneno eſt.
Attonitos viſis ingentibus occupat Evan,
Jam vir, jamque ſuus, jam non dubitabile Numen.
Gange triumphato poſtquam mihi ceſſerat Ortus,
Reſpexi Occaſum, proles Semeleja Liber,
Veſtra mihi ante alias arriſit filia, cujus
Vindice ſum gladio nuper defenſus ab angue:
Hanc peto connubio, mihi quam jam fata dedere:
Fata quidem vetuere, viro nè nuberet ulli,
Non vetuere Deo: Deus ipſe, Deumque probarunt
Me mea facta ſatis. Quod feliciſſima nata
Veſtra futura foret, verum hoc quoque protulit augur:
Numine me, Numen pariter, Reginaque fiet,
Et dabimus Regnum, quod Regibus imperet ipſis.
Hæc ait, inque Deam migraret ut ocyus Uxor,
Porrigit immortale merum: bibit illa, Deamque
Induit, Eutychie nec jam, Fortuna vocatur.
Inde capiſtratis in tigribus alta jubetur
Sidere, non ipſo minus ebria conjuge, conjux
Vecta maritali temone perambulat Orbem,
Grandia dotalis ſpargens patrimonia Regni
In populos; Verùm quia cœca liquore mariti
Immeritos plerumque legit, quid grande, Deoque
Finitimum veluti putet eſſe, creare beatum,
Deque Iro paulo antè, novum progignere Crœſum.
Attamen huic terræ, quæ fortunata vocari
Nomine Fortunæ veniens debebat in ævum,
Pandoræ vas omne manu diffudit amicâ.
Scire ne, qualia ſint bona tot, tamque ampla cupitis?
Surgamus: ſpectanda dabo. Nec pluribus uſa,
Convivas, largè dapibus, vinoque ſepultos,
Unde capi faciles magicam deducit in ædem:
Quò ſimul incauti veniunt, vix limine tacto,
Spon-

Sponte ſuâ patuere fores; tunc hoſpita: noctem
Exigite hic læti Juvenes, omnemque timorem
Mittite, grata parùm mentes nè ſomnia laudant.
Inter verba, redit verſato cardine rursùm
In ſe porta, foras Theromantida reppulit, intrà
Cantatæ ſecreta domûs incluſit Iberos.
Illi oculos torpore graves, claudique volentes
Quantumvìs male ſuſtineant, tamen ad nova tollunt
Gaudia, majori ſomno vigilare coacti:
Scilicet in triplex latè digeſta viretum
Obvia tota venit Fortunæ Regia, quanta eſt.
Nec ſua cuique loco Præſes deeſt: prima Voluptas
Occurrit, fractis oculis, & lubrica viſu,
Deſidis in plumæ quæ ſede ſupina, ſtabello
Submovet æſtivo curas circum ora volantes:
Quinque adſunt famulæ niveis in veſtibus omnes;
Quærere ſollicitæ, quid eandem vellicet: iſta
Naribus illecebras, hæc comparat auribus, illa
Deproperare gulæ blandè quæ ſauciat eſcam,
Altera quæ teneant hilares ſpectacula viſus,
Ultima, quæ palpent artus bombycina, curat.
Quælibet ex iſtis, nè nauſea dulcibus obſit,
Delicias Dominæ mutare laborat in horas:
Præcipuè ſolers tamen eſt, de nectare poto
Ebria ne fiat, ſapiens ſed in arte fruendi
Detrahat è placitis aliquid, ſitiensque recedat.
Jura dat è flavo reſidens Opulentia clivo,
Non contenta ſatis formæ dono, pretium omne
Et maris, & terræ periturum in cyclade portat.
Diſſimulat, quod ſentit onus, nec diſplicet, in ſe
Dummodo ſpectantum mirantia lumina vertat.
Hìc præter morem, quo plus habet, hoc quoque dando
Larga magis, manibus diffundit munera plenis:

Nec minùs egeſtis minui patrimonia nummis
Ipſa timet, quam ne terras emiſſa per omnes
Prodiga vena tot undarum depauperet æquor.
Inter utramque coruſcat Honor, qui ſede, locoque
Celſior ambabus, quam ſe popularibus auris
Paſcier, à populo tam gaudet abeſſe, ſupremos
Et coluiſſe apices, altoque è vertice viles
Deſpectare caſas, & habentem nubila plebem,
Cautus, ut à longè veniat reverentia major;
Obſequii exactor rigidus, largitor at idem
Parcus: ei tantum comis, qui creber ad aurem
Tinnit adulator, neſcitque in laude pudorem.
Huic etiam ſua ſylva ſubeſt, nec ruſtica viſu;
At quales olim lectæ geſtamine Regum
Ferre ſuperbibant ſub honoro pondere quercus,
Tale quid hìc produnt arbuſcula ſingula, non jam
Thoraces, galeas, ſed ſuſtentare thiaras
Viſa, togas, trabeas, Tyriæque imitamina lanæ:
Quodque erat illuſis animis jucundius, ultrò
Ad raptus faciles rubros curvantia ramos.
Ante Deæ triplicis vultus non taliter hæſit
Anceps conſilii celeberrimus arbiter Idæ,
Præferri dignam cum quamlibet eſſe videret;
Oblatis de tergeminæ ceu ſortis Iberi
Quod legerent hæſere bonis, vota uſque tenerent
Lance ſub ambiguâ, ſimiles & hiantibus eſſent,
Ni traheret diverſa bonis ſua quemque cupido.
Vaſcus ut à titulis fumoque ſuperbus avito,
Tam propè conſpecto dominandi fomite; ſomno
Urgeor? exclamat: rationis an integer adſum
Ex ſolido felix, aulæ quàm diſcolor hujus
Mos tenet à noſtris, ubi ſemper honoris avara
Portio vel minimi eſt: juveniles paſcimus annos
Spe

Spe miſerâ, ſterilique ſeneſcimus ambitione;
At ſecùs hìc occurrit honos ultroneus, undè
Non ille à nobis, ſed nos ambimur ab illo:
Quis me purpureum fieri citò deneget? Illud
Támque diù quæſitum aliis ne conſequar oſtrum?
Quis vetat in ſubitum quin & me creſcere Regem?
Sat voluiſſe mihi: dixit, quemque altiùs unum
Aſpicit è ſcopulis Cœlo ſuſtollere frontem,
Eſſe putat ſolium, ſolii complectitur umbram
Spemque paludatam, Regnique in imagine regnat.
Non capit Alphonſus ſua gaudia, lumen avarum
Ut per opes circumduxit, nullâque teneri
Clave fores, nullo excubias & agente dracone,
Incuſtoditæ pretium frondeſcere ſylvæ
Aſpicit, eſſe Indos hìc credit, & aurea Regna
Columbo promiſſa, illoque abſente reperta:
Aſſimilisque Midæ pleno jam pauper in auro,
Quid legat addubitat, de palmite num Berenicen:
Mala ne digna tuos curſus Atalanta morari:
An ne Peregrinæ claram cognomine concham
Regis in Hiſpani dignam rutilare galero,
Non minus omnigenas hebetantem lumine gemmas,
Supprimat aſtrorum turbam quam Luna minorem,
Hæc placet, uxori parat hanc deferre reverſus
Ut præſtet reliquis Matrona Liguſtica Nymphis,
Currit ut hanc rapiat, rapturus & admovet unguem;
Nec magis arripuit, quàm qui ſub Tartara ſiccus
Potor, anhelanti petit ore, nec invenit undam.
At puer Erneſtus, dederat cui florida cunas
Parthenope, genioque ſui molliverat aſtri,
Sede Voluptatis visâ, ceù rurſus amœnæ
Proſpectum patriæ, campanaque rura videret,
Clamitat attonitus; quis me cum Sole ſepultum

Axe ſub occiduo Bajas ſentire tepentes,
Et litus geniale jubet? quis regna Sibyllæ
Reddidit, Elyſiumque mihi? ſunt iſta beati
Litora Pauſilypi? Sirenis & otia blandæ?
Oraque Sebeti cantantibus aſſona Cycnis?
Num penes Antipodas ſunt regna ſimillima noſtris?
Quæque ibi, an hìc etiam, ſeſeque reduplicat Orbis?
Quidquid id eſt, quod adeſt, certè vel patria noſtra eſt,
Vel niſi noſtra, mihi nunc primùm patria fiet.
Dixit, & ingreſſus loca læta, fatigat in omni
Parte voluptates, nunc hanc, nunc decutit illam
More volantis apis, nec ſuccos ebibit ullos.
Sic fortunatâ paſſim regione vagantur
Felices miſeri, ſoloque errore beati;
Et quis opem præſtare queat feliciter ægris,
Si mala vera, boni falsâ ſub imagine palpant?
Bis miſeri, quòd nec valeant, & morbus ametur.

# LIBER III.

NESCIUS intereà Comitum Columbus obibat
Incertæ regionis iter; cum proxima Ferri
Inſula conſpicitur (Teneriffen nomine dicunt)
Alta quidem ſcopulis, ſed ab ignibus altior exit
In nubes, Siculique ſolet nec more camini
Viliter iraſci, pro ſaxis, ferrea montis
Viſcera dilapidat, fabricataque ſæpius arma
Interiore ſpecu, propioribus impulit aſtris:
Miratusque laboratas accedere lamnas,
Sæpius ex illis gladium mutavit Orion.
Fabula, Naturæ licèt in miracula nunquàm
Quærere deſiſtat, tamen hæc ſacraria terræ
Non intravit adhuc, docuit nec ſemina clauſa
Montanæ bilis, nitrumque, & ſulphur, & ignes
Unius eſſe viri furias, qui fulmine parte
Corporis ambuſtus, parte integer, æthera contrà
Pugnet adhuc, pœnamque ſuam pro fulmine jactet:
Regibus exemplum datus, ut punire nocentes
Vel non incipiant, vel ſi cœpere, revellant,
Ultima nè ſe ſe vindicta recolligat unquam.

Nulla ſed illuſtrem Teneriffen fabula quamvis
Fecerit, hæc tellus meruit Vulcania dici,
Ferrum ubi, & ignis adeſt, & agit Natura Cyclopem.
Huc tandem amiſſis ſociorum navibus Heros
Appulit; & moneat quamvis ſuccurrere fractis
Rebus amor, medicâque manu tractare carinam,
Attamen externæ noctis memor, horret adire,
Quæ reperire timet: ſic qui ſub veſpere ſolers
Vinitor in cultâ numeraverat arbore poma,
Et quas delicias domino ſervare deceret,
Quasque ſibi; in noctem tonitru ſi percitus audit
Tecta ſuper ſtreperâ ſalientem grandine nimbum,
Mane timet prodire casâ, ne diſcolor hortus
Terreat, & plantâ ſua vulnera cernat in omni.
Expendiſſe quidem mutilæ ludibria navis
Dux pius horruerat; virtus invicta per omnes
Ire cicatrices, fomentaque nautica ferre
Non modo ſuſtinuit, ſed fortiter inſuper ore
Auſa fatiſcentes ſociorum attollere mentes.
O! mihi ſervatæ per ſumma pericula rerum
Relliquiæ comitum, non hæc ad fata venitis
Tirones; terrâ poſtquam dixiſtis avitâ
Grande Sacramentum, non ante reviſere Gades,
Veſtra peregrinum, quàm prenderet anchora portum.
Quodcumque oppoſuit cœptis ingentibus hoſtis
Juppiter, & Nerêus, voto viciſtis in illo.
Duremus: ſocios fortuna auferre, ratesque,
Non animum poterit; quamvis ſociosque, ratesque,
Fidite, Numen idem, quo ſolvimus auſpice, reddet.
Eſto nos etiam ſociis ſpoliaverit æquor:
Quid niſi puppis erat, ſupra quæ conſtitit Arca
Armeniæ montes? tamen aſſer. clauſus in uno
Mundus erat, ſupraque ſuum fluitare cadaver
Per-

Pertulit attonitus ſibi vivere poſthumus Hæres.
Non Mundus nobis petitur minor, abdit eundem
Nec minor unda globum: puppi reparabitur iſtâ
Illius ampla ſalus, eadem modo Numinis aura,
Quæ rexit veterem, puppim comitetur Iberam.
Hæc ait, & victu refici, ſale tabida membra
Inde jubet; parent omnes, epulisque paratis
Inſtaurant artus, depromitur amphora ſucco
Plena, ſenectutis pretium cui Bætica vitis
Contulit, apta magis donare oblivia curis,
Quàm Styga Lethæus qui præterlabitur amnis.
Ut vires rediere viris, ſtratosque per herbam
Inde quies habuit; Dux pervigil inter inertes,
Turpe ratus dormire Ducem, quæ terra, quis ille
Angulus Heſperiæ, præſertim incendia montis
Quærere conſtituit, vaſtâque voragine clauſis
Exploratores oculos immittere flammis.
Nil animi metuens, fatum perferre paratus
Quale vel Empedocles, vel Plinius: à ſapiente
Quin putat optandum, naturæ ipſius amore
Perdere naturam, vitamque impendere Vero.
Incomitatus adit, magnique habet agminis inſtar
Grande patrocinium lateris, quem ſuſtinet enſem.
Ecce autem inſpector miri dum devius ignis
Fertur, in occurſum miræ magis incidit undæ.
Æquoris in medio diffuſi largiter arbor
Stabat, opaca, ingens, ævoque intacta priori,
Grata quies Nymphis, & grata colentibus umbram
Alitibus ſedes, quarum vox blanda, nec ullâ
Muſicus arte canor ſylvam reſonare docebat.
Auditor primùm rari modulaminis, utque
Cominus admovit greſſum, ſpectator & hæſit;
Namque videbat, uti de cortice, deque ſupernis

Crinibus, argentum guttatim mitteret humens
Truncus, & ignaro plueret Jove: moxque ſerenus
In concham caderet ſubjecti marmoris imber,
Donec ibi in fontem collectis undique rivis
Creſceret, atque ipſo jam non ingratus ab ortu
Redderet humorem matri, quæ commodat umbram.
Dum ſtupet, & quærit, cur internedia poſſit
Unda, per & fibras, virides & ſerpere rugas,
Et ferri ſurſum, genio ducente deorſum;
Adſtitit en Nymphe, dubitas decernere, Nais,
Anne Dryas, cuſtos num fontis, an arboris eſſet:
Veriùs ut credam, Genius ſub imagine Nymphæ
Ille loci fuerat; Quam præſtantiſſimus Heros
Protinus ut vidit: parce ô pulcherrima, dixit,
Si miſer, & veſtras ejectus nuper ad oras
Naufragus, idem audax videor fortaſſe rogando;
Dic age, quas labi video de ſtipite, lymphæ
Montibus anne cadant, per operta foramina ductæ
Mox trabis irriguæ ſaliant in frondea ſurſum
Brachia, ramaleſque tubos; genitalis an alvus
Umbroſæ genitricis alat: ceu ſæpè videmus
Balſama de truncis, ſtillare electra racemis.
Pandere ne grave ſit cupienti noſcere cauſam,
Vilia quæ vobis uſus miracula fecit.

Hæc ubi dicta, ſilet. Tum Virgo ita reddidit: Hoſpes,
Quiſquis es, (eximium certè præſentia prodit)
Deciperis, ſi fortè putas, quas aſpicis undas
Eſſe ſatas terrâ: procul omni à ſede remota
Mira arbos, uni debet ſua munera Cælo.
Qua ratione tamen capiat, quia noſcere geſtis,
Edicam: ſed dicendis nè tædia repant,
Hic locus, hæc eadem, de quâ cantabitur, arbor
Dat tempeſtivam blandis affatibus umbram;

Hic

Hîc unà ſedeamus, & ambo fontis ad undam
Conſedêre: dehinc intermittente parumper
Concentu volucrum, placido ſic incipit ore.
Nomine Canariæ, de quâ tenet Inſula nomen
Virgo fuit, non ore minùs, quam prædita raræ
Laude pudicitiæ, mirum quæ pectore votum
Clauſit, ut eſſe eadem genitrix, & virgo cupiret.
At quia in Urbe ſatam fuerat ſortita parentem,
Ortum rure Patrem, diverſis moribus hauſit
Hinc ſylvæ auſteros, teneros hinc Urbis amores.
Sæpè ubi viſendi ſtudio convenerat Urbes,
Et dare blanditias natis, & ſumere matres
Viderat ante fores, ut mater amavit amari.
Sæpè ubi rure fuit de nymphis una Dianæ,
Viderat atque Deam thalami conſorte carentem,
Eſſe Deæ ſimilis, nec amari ut mater amavit.
Sed quid aget? cernit fieri non poſſe quod optat:
Non optare tamen, crudeliùs urit amantem.
Noctis erat medium: quo nos ſumus, hoc erat illa
Fortè loco, Cœloque videns ſplendeſcere Lunam;
O' Dea, cui triplicis conceſſa potentia Regni,
Parce precor, dixit, ſi quæ nunc profero, non ſum
Auſa prius: quod non poſſes audire Diana,
Cum ſis Luna potes, tenebræ minuêre pudorem.
Eſt mihi Virginitas, fateor, re charior omni;
Attamen hac ſalvâ, fœcundæ ſi quoque Matris
Nomina miſcerem, duplici de nomine quantùm
Ambitioſa forem: certè non parva voluptas
Me caperet, coram ſi quis me luderet infans,
Si mecum geſtu, mecum loqueretur ocellis,
Cumque poteſt, quacumque poteſt, me voce vocaret,
Cujus & in vultu multum de matre viderem.
Ni ſinit hoc humana tamen natura licere,

Fiat quâ ratione poteſt; mutare figuram
Nil refert, voti compos ſi denique fiam.
Annuit oranti facilis Dea: Virgine digna
Et quia vota tulit, Virgo probat. Eligit ergo
De grege Plantarum ligni quæ cœlibis eſſet.
Viſa fuit Platanus: placet hæc; ſi vertat in iſtam
Canariæ corpus, ſibi tempus in omne futuram
Tam caram eſſe videt, quam ſit ſua laurea Phœbo.
Nec mora, poſcenti munus, nè ſigna deeſſent
Certa dati, movit falcatæ cornua frontis.
Virginis extemplò cœpere rigeſcere crura,
Tenvia veſtiri duro præcordia libro,
Ipſaque miratur, cervix quod eburnea, quantum
It Cœlo, tantum tendant in Tartara plantæ.
Et jam formoſa de Virgine conſtitit Arbos
Non formoſa minus; qui toto in corpore pridem
Par ebori fuerat, candor quoque cortice manſit.
Sed deerat conjux uxoris moribus æquè
Integer, & cælebs, & Virginitatis amator,
Quo fœcunda foret; verùm tellure petendus
Non hic, ab axe fuit. Quarè incorruptus & idem
Purior è cunctis ſtellatæ noctis alumnis
Poſcitur Herſophorus, ſic Graii nomine dicunt,
Rorem Itali. Quacumque die (quis credere poſſet?)
Tanquam ex condicto cum Sol altiſſimus extat,
Sydereus conjux nebulæ velatus amictu
Labitur hùc, niveisque maritam amplectitur alis:
Quodque fidem ſuperat, parvo poſt tempore fœtum
Concipit, & parvo poſt tempore parturit arbor.
Molle puerperium vis noſcere? Conſule fontem,
Qui nos propter adeſt, in quo mixtura duorum
Agnoſci poſſit, ſplendet materque, paterque:
Læta fovet genitrix, compos jam facta cupiti.

Illius optarat vultu ſe noſcere, noſcit:
Cernere ludentem ſe circùm, ludere cernit;
Illum audire rudi matrem quoque voce vocantem,
Et matrem ſe ſe dici dum murmurat, audit.
Nec modo Virginitas fœcunda eſt arboris, ipſæ
Sunt quoque fœcundæ frondes, quas excutit arbor.
Nam ſimul ac ſupra latices cecidere tepentes,
Inſuper acceſſit Phœbei flamma caloris,
Concipiunt, pariuntque: oriturque tenerrimus ales
Nomine Canarius, qui penè excluſus in auras,
Tenvis adhuc, Cœlique rudis, crudusque labori
Jam ſuper extantes affectat ſcandere ramos,
Et frondes, quarum una fuit. Nidum inde ſub illis
Collocat adverſum Soli, cui pandere pennas,
Et ſiccare queat: latet hìc, nullâque magiſtrâ
Arte canit, matrisque replet concentibus aures.
Adde quod affectus reddit genitricis eosdem,
Utque puellari genitrix in pectore clauſit,
Hinc ſylvæ auſteros, teneros hinc Urbis amores;
Sic amat hic ſylvas, ut non faſtidiat Urbes.
Tecta colit, patiturque hominem, nec divitis aulæ
Grande ſupercilium metuit ſylveſtris alumnus.
Imò loco admonitus, vix aulicus incipit eſſe,
Jam fit adulator, poſitum proferre paratus
In ſtatione melos, domini quod vellicet aurem.
Hæc dixiſſe mihi de fontis origine noſtri,
Audiviſſe tibi fuerit ſatis, alme Virorum.
At ſi mirarum cauſas agnoſcere rerum
Te capit, ut video, dulcis violentia, montem
Hunc ſupera, longè viſis majora videbis.
Hìc ubi nil ultra ſupereſt, & creditur eſſe
Occaſus mundi, cingentibus omnia lymphis,
Multa dabit noſcenda locus. Sic ultima vitæ

Lux

Lux aperit Verum, lucemque reduplicat, & cum
Vivere deſinitur, nemo non doctior exit.
Talibus accenſus dictis præſtabilis Heros
Ardet adire locum, Nymphæque ut ritè peregit
Quas decuit grates, illùc veſtigia movit.
Jamque ſupercilium latebroſi evaſerat antri,
Ecce in conſpectu contermina nubibus, Alpes
Interpoſta duas, porta aſſurgebat Jani.
Molimen non illud erat mortale, domandum
Viribus illud idem non à mortalibus ullis;
De facie ſcires fabros Acheronte petitos.
Ærea materies, cardo æreus, ærea ſupra
Forma Bifrontis erat: placuitque è plebe Deorum
Deligere hunc, vultu qui duplice pervigil eſſet
Janitor inter utrumque Orbem, veteremque, novumque,
Idem anni cuſtos velut eſt veterisque, novique.
In medio tempus, cui circum tempora cana
Horarum ſe ſe diadema volubile verſat,
Illius ambages, & inenodabile Verum
Abſcondit ſub nube Deus: lege omnia conſtant,
Temporis hæc tantum lex eſt, non lege teneri.
Interit, ut cuncta intereunt: dum cætera carpit,
Carpitur, atque ſui patitur diſpendia dentis.
Non tamen, ut cuncta intereunt, ſic interit: ipsâ
Multiplicat nam morte dies, ſemperque reſurgit
Ut pereat, ſatisque novis alimenta miniſtret:
Quo vivit minimum eſt, illo tamen omnia vivunt.
Hinc, atque hinc ædes geminæ, quarum altera monſtrat
Emeritos ætate ſenes, qui grandibus urnis
Scripta papyraceis magnatum nomina chartis,
Mixtaque plebejis, ſubterlabentia Lethes

In

In vada merſabant : Infamia, Famaque ſurdo
Gurgite combibitur. Quicumque ſuperbus honorem
Sectaris cineris, ſi non intendis honeſtum,
Nil agis : ex æquo grandes, humilesque ſilentur.
A lævâ ſe parte capacior erigit ædes
Venturæ ætatis : ſunt intùs in ordine longo
Anni omnes, in lucem omnes prodire parati.
Denſum humeris premitur vulgus, ni vincla tenerent
Inſtabiles animas, jam libertatis amore
Præcipites ruerent, confuſaque ſæcula ſeſe
Miſcerent, omnesque dies lux perderet una :
Id metuens Tempus vinclis, & carcere frænat.
Hæſit in obtutu miri cælaminis Heros,
Et labor, & ſpecies, immortalisque metalli
Horrida Relligio fixum tenuêre parumper.
Dum ſtupet, attollit vultum faſtigia ſuprà :
Neſcio quis patuit cælatus fornice verſus.
Perlegit, incluſis erat hæc ſententia dictis :
*India pandetur, patriam cui Janua fecit.*
Subſtitit, & tacito ſecum ſub pectore poſtquam
Verba volutavit : quis feliciſſimus ille,
Cui pandetur, erit? Patriam cui Janua fecit!
Anne mihi? Natale ſolum mihi Janua certè eſt,
Nomen & à veteri mea patria ducit Jano.
Vix ea protulerat, vox exaudita, nec ulla
Author viſa ſoni : Tu feliciſſimus ille,
Cui pandetur, eris. Vocem fragor inde ſecutus,
Et veluti convulſa dehiſceret Inſula fundo,
Concuſſæ patuêre fores. Proh qualis apertum
Intranti limen ſe ſe tulit obvia moles!
Templum erat, & Templo tholus additus ardua ſupra
Nubila ſupicitur, nec conceſſurus Olympo
Primatum, frontem rutilantibus inſerit aſtris :

Quo

Quo viſo, Dux obtutus in cætera flectens,
Veſtibulum ante ipſum miratur, ut area ſe ſe
Ampliter extenſa in gyrum diffunderet, utque
Sylva columnarum protenderet ordine longo
Brachia, projiceretque cadentem porticus umbram:
Inde velut ſeries ſe circinet & ſtatuarum
Deſuper, affuſæque omnes dum taliter adſtant,
Ac circum ſpectare velint, ſpectacula fiant.
Arduus in mediâ, vacuâque obeliſcus arenâ
Pompa fori, labor Ægypti, quadratus ab omni
Parte lapis ſensìm gracileſcit, in ultima donec
Deſinat, ac ſe ſe minuendo decentius ornet.
Hinc, atque hinc gemini fontes contendere juſſi
Saltibus argenti: quinam ferat altiùs undas
Inde reverſuras, ſtat pugna diutina, neutri
Vincere permiſſum, viſum quid gratiùs eſſe,
Semper in ancipiti, ſi pendeat æmula Nais.
Omnia pulcra quidem, ſed puchrior omnibus ars eſt,
Res ita quæ miſcet ſimul, & diſtinguit eaſdem,
Immenſum facies ut digerat una theatrum.
Dum fruitur, dominumque loci cognoſcere tantum
Hoſpes amat, tunc ex adytis Aretia recluſis
Protulit alma pedem, nec qualis, quantaque Cœlo
Splendet, adeſt: capitis radiati temperat ignes,
Subdit & humanis cœleſtia viſibus ora.
  Tum ſic affari: Ligurum clariſſime ſalve:
Illa ego, ſi neſcis, cuſtos tibi credita, vel tunc
Candida cum primis biberes alimenta labellis,
Heroum clandeſtino te lacte fovebam.
Creviſti, & linguæ tecum facundia crevit:
Quâ fretus, quamvis humili nutritus in algâ,
Auſus es Europæ penetrare interritus aulas,
Antipodas ſuadere, & cauſam dicere Mundi.

Hacte-

Hactenùs intra Te, non à Te paſſa videri,
Delitui : nunc ferre queas ut pectore firmo
Qualiacunque dabit ſubeunda pericula pontus,
Qualia te pariter maneant, & præmia coram
Ponere conſtitui ; nemo magè dignior unus
Scire quid eveniet, quam per quem tanta locorum
Noviſſe, & marium ventura fatebitur ætas.
Diva loquebatur : jamdudum Virgine visâ
In majorem animam grandeſcere cœperat Heros.
Vox quoque nec mortale ſonans ut perculit aures,
Parcere non potuit, quin exclamaverit : in quæ
Transferor ô Regina potens miracula rerum!
Iſta ne vivus adhuc, nec dum compage ſolutâ
Corporis intueor? Cum ſpiritus unde profectus
Liber eò curſum referet, deque exule longus
Mox Civis fiam : dic an majora ſuperſint?
Aut Cœlum, aut certè ſunt iſta ſuburbia Cœli.
Cui tamen è Superis moles famulabitur? aut quæ
Urbs tantum meritura decus? dignare docere.
Olli plena Deo reddit tunc talia Virgo :
Quod tectum regale vides, hoc Petrus habebit,
Vilis Idumeæ quondam piſcator arenæ,
Paſtor adoratus modo Regibus, horridus idem
Manibus infernis, & ſummæ Claviger Æthræ.
An ne ubi depoſitum ſiſtam cœleſte, requiris?
Dignus Roma locus, Vaticanoque ſedebit
Vertice : tunc arces Epheſi, tunc alta Corinthi
Mœnia vileſcent, plebejaque nomina fient
Et Rhodus, & Babylon, Delusque, & Memphis, & Hammon.
Hujus in ornatum nullum non ire metallum,
Ingeniumque volet : jam nunc & ſæcla laborant
Praxiteles Italos, & Apelles, & Polycletos,

Qui

Qui ceras valeant, lapideſque hebetare Pelaſgos,
Tu quoque pars operis tanti non ultima fies;
Scilicet Hiſpanis à Regibus, in monimentum
Grati animi, primæ defoſſæ rupibus Indis
Huc mittentur opes: ſactum laquearibus iſtis
Corriget, in mores quidquid peccaverit, aurum.
Illuc flecte acies, & ſi potes, addita Templo
Vaſta aulæ metire palatia: ſummus ab altâ
Arce ſedens Pater Imperium Romanus habebit;
Imperium ſine fine tamen, non limite clauſum
Temporis, aut rerum, nec quale Quiritibus olim
Dixerat æternum mendaci Juppiter ore,
Quod cecidit, vani juſſus perſolvere pœnas
Polliciti prior ipſe ſuâ ſub rupe ſepultus.
Non tamen hoc Tempus, non proteret infera Juno:
Donec erit tellus, ſeniumque pepercerit aſtris,
Stabit, & ut metas Atlantem proferat ultra
Tu facies, ideoque volentibus omnia ferro
Noſcere Romanis, Indos penetrare negatum eſt,
Ut quo non iſſent Aquilæ, Crux ante volaret;
Nec poſſet Bellona magis Romana, Thiara
Quam Romana poteſt: mirabere, quod ſine Marte
Tanta tamen res poſſit agi. Rectoris inermis
Non ſumus arma, Duces, immortaleſque phalanges:
Nos illi excubias agimus, nos illius auri
Secretæ loquimur, per quæ Deus ipſe loquatur.
Quin domus hæc eadem, tanto quæ Præſide digna,
Regia Virtutum ſimul eſt, nullamque fatemur,
Æthera ſi demas, habitare libentius ædem.
Dixerat, ille oculis loca ſplendida, clauſaque longis
Atria porticibus poſtquam ſatis hauſerat: O! quæ
Longa meam, dixit, tenuit fallacia mentem;
Te parvas habitare caſas Aretia, nec ullum

Aulis

Aulis eſſe locum; conſortia divitiarum
Et patitur Virtus, & ſobria vivit in auro!
Tum Dea: mentis, ait, non eſt ad grandia natæ,
Divitias non poſſe pati; pupilla probata eſt,
Non quæ aurum ſpectare timet, ſed Gorgone flava
Quæ prope conſpectâ, vultus interrita perfert,
Nec ſinit ex oculis in cor tranſire venenum.
Quamvis Naturæ non ſunt culpabile munus,
Ut vulgò jactantur opes, virtutibus illas
Præmia conſtituit: ſed amor ſceleratus habendi
Naturale bonum corrumpit, & inde nocendi
Addita vis vitio, quoties melioribus armis
Virtutis, virtutem oppugnat, & optima lædunt.
Norma boni certè Deus eſt, menſuraque recti:
Et tamen hoc quodcumque vides, qui condidit idem
Poſſidet. Hoc etiam punctum terreſtre, quod omnes
Eſſe ſuum Reges clamant, ferroque ſecatur;
Illius eſt, illique ſubeſt, paretque, nec unquam
Tranſit in hæredem. Diademata lubrica mutat
E fronte in frontem, numquam mutabilis Ipſe.
Non eſt, cur ſtupeas igitur, ſi Regna tenemus
Aurea: non dominantur opes, dominamur in illas.
At quia tanta ſubeſt Veri penuria, rebus
Nullus ut adſit honos, pretium niſi fecerit aurum,
Utimur hoc ideò, non ut ſpectemur ab illo,
Conſpicuæ ſatis è noſtro; ſed ut indiga recti
Mens hominis diſcat, quando virtutis amore
Non colitur Virtus, aurum virtute parari.
Te modo Virgineos pigeat ne viſere cœtus,
Fatidicamque domum. Longiſſima Regna petenti,
Non niſi de noſtris ſumenda viatica caſtris.
Hæc ait: inde viam capiunt, per & oſtia centum
Et ſcalas totidem, totidemque per atria, tandem
Mar-

Marmorei ſublimem apicem tenuere palatj.
Hìc amplum conclave vident in parte reductâ,
Quo non terreni fæx aëris, & vapor aulæ
Turbidus, ac ſpes ancipites, & ſemper hiantes
Perveniunt : ſecura quies, & ſanctior aura
Eſſe fatebantur Divarum tecta ſororum.
Impiger ante fores Labor excubat, arida produnt
Membra ſenem, viridemque tamen, validumque lacertis,
Intentus quid agat ſemper, non reſpicit actum.
Æſtus, hyems, ſudorque placent, ſi quando ſopori
Victus ſuccubuit, numquam proſternitur; urget
Stantem dura quies, factusque valentior inde
Tempus deſidiæ breve corrigit ; ipſe Orientis
Portam aperit primus, curas exſuſcitat acres,
Urticam ſpargit thalamis, operoſa colonis,
Armaque militibus dat ahenea, pinea nautis.
Is quoque nobiliter cœleſtia corpora Divas
Nequaquam timidas otî rubigine carpi,
Attamen exercet, nec delaſſantur agendo :
Nec facto Artifices pulchræ tantummodò gaudent,
Tunc quoque cum fit opus, ſtudio mens paſcitur ipſo,
Unà omnes ſua cura tenet ; tamen omnibus uni,
Per diverſa licèt, labor eſt incumbere Recto.
Sic Venetûm navale novus dum circuit hoſpes,
Aſpicit hac illàc pelagi ſudare Cyclopes :
Pars aptat remos, pars longa volumina lini
Turbinat in funes, hic quæ deſideret auram
Apparat antennam, velorumque inſtruit alas,
Conſulit hic quales viſura ſit anchora portus.
Fervet opus, ſubitasque rates ſi quando Gradivus
Poſtulet in pugnam, ſatis ut pede libera Virgo
Dextro pulſet humum, naſcentur in æquore claſſes :
Ars

Ars ibi non una eſt, tamen omnibus unus, & idem
Terminus, abjetibus fabricare natantibus arces.
Sic & Virtutes ſtudio diverſa ſequentes
Unius inter ſe nectit concordia finis.
Relligio Thus, effigies, & præparat ædes,
Atque extra poſitum mortalia lumina Numen
Saxa per, & telas oculis tractabile reddit:
Quin ſtudet, ut digni cultores Numinis inter
Scribantur Divos, ut qui coluere, colantur.
Virginitas ebori, puroque ſimillima lacti
Noxia candori declinet ut otia, lanas
Non ſinit eſſe rudes; exempla domeſtica caſtris
Parta ſuis inſignit acu, modo ſerica contra
Ora Tyrannorum, molles ætate puellas
Collocat, obliquatque genas, pulchrâque repulsâ
Aſperat: utque etiam teſtatum cæde pudorem
Significet, rubris filis interſerit alba.
Ornant exuviæ laquearia condita cedro
Idaliæ raptæ Matri, pueroque volanti.
Pendebant ſine luce faces, ſine honore pharetræ,
Diſſutæque rotæ, conſternatæque columbæ,
Lugubre neſcio quid tremulo quæ gutture flentes,
Sub mutilæ ſe condiderant temone quadrigæ.
Arma parat miſeris Clementia frigora contra,
Pauperiemque, famemque, malis tam prompta mederi
Si veniant, quam mente ſagax, eademque futuri
Provida ne veniant. Ut juſtum ponderet, unâ
Non contenta manu Themis eſt, impendit utramque:
Ferrum habet, & lancem, vulgi decernere lites
Lance ſolet, Regum cauſas examinat enſe.
Major in adverſis, viſoque animoſior hoſte
Invia vulneribus fabricat Conſtantia tela,
Utque ducem Ligurem muniret ad Indica bella

Pluſquam ope terrigenâ galeæ non tegmina tantùm;
Inſuper ingentem clypeum formaverat, inque
Murorum pompam mediâ ſuſpenderat aulâ.
Qualiter Æacides cùm Mercatoris Achivi
Inter & armillas, & Coæ cingula lanæ
Non expectati ſpecies apparuit enſis,
Erubuit, parmamque tuens, non pertulit ultrà
Mentiri: ſtricto reſpexit in Hectora ferro,
Aſper, & imbelli patuit ſub cyclade ſexus.
Non ſecùs alma habitans placidarum tecta ſororum
Arſit ab armorum radiis Hiſpanus Achilles.
Occupat ardentem tunc his Aretia: paratur
Iſta tibi, quam cernis, ahenea ſarcina, fortis:
Et quia par gladio manus eſt, galeæque comantis
Par oneri cervix, tenuit ſervire minori.
Hoc ſed crede patum: quamvis non agnita, quamvis
Non Tibi viſa palam, quocumque in vulnere noſtram
Agnoſces pugnare manum. Nec plura, refixit
Arma, deditque viro: capit ille, & ſingula luſtrat,
Et nunc loricam, ſibi nunc accommodat enſem,
Interdum galeam: gemmis erumpere ſentit
Fomentum belli, nec inerti luce nitere
Fulmineos ſmaragdos, & terribiles amethyſtos.
Præcipuè clypei radiantis imagine pendet.
Non antri labor Ætnæi, rupisque Sicanæ
Tormentum ſtructura fuit; Dea legerat omni
E gemmâ pretium, ſtellarumque inde favillis
Coxerat, & longo cælaverat argumento.
Illic Hiſpanos ventura in ſæcula Reges,
Ut quales, quantique forent, cognoſcere poſſet;
Oſtentabat onyx, & diſtinguebat achates.
Fernandum ante alios gentis caput, Imperiique
Sublimem ſolio circumſeptumque nepotum
Con-

Concilio Regum : ſpectat ſua pignora lætus,
Inque tot, ac tantis modo ſe cognoſcere Patrem,
Et modo gaudet avum; cunctis partitur amorem,
Non tamen in cunctos potis eſt ut dividat ulnas:
Dextera ſtringebat Carolos, & læva Philippos.
At quia præ reliquis ſolers Aretia notarat
Unius à vultu Regis pendere Columbum,
Et quaſi poſcentem tacitè reſcire, quis eſſet;
Hic vir, hic eſt, (digitoque virum monſtravit) & hujus
Nomen, ait, Carolus, Quintus cognomine : noſſe
Si cupis acta viri, dic uno Cæſare victam
Europam, fractam Lybiam, domitumque Tunetum;
Adde triumphatos Reges, pulſumque Viennâ
Ante tubam Solimanum. Dic Geldrica bella,
Saxonicam nullo finitam ſanguine pugnam;
Adde per Italiam currus regaliter actos,
Afflantemque metu loca cuncta, ſuâque ferentem
Et bellum, pacemque manu. Dic per mare magnum
Victrices egiſſe rates, Peruanaque ſceptra
Adjeciſſe ſuis : magnus, quòd vincere Regna
Sciverit, at major, quòd ſe poſt omnia vicit:
A' Carolo Carolus Mundo ſpoliatus utroque eſt.
Ductor ab his lætus declinat lumen, & infra
Regna videt picturatos comitantia Reges:
Hìc Granata ferax, bellorumque ultima merces,
Prima videbatur, galeâque inſignis, & haſtâ
Arcibus Hiſpanis trepidantem avertere Maurum,
Sollicitum dare terga fugæ, patriæque nigrantis
Quærentem totâ defendere nocte pudorem.
Illic Matritum : non longiùs Excuriale
Delubrum oſtentat clamydatis oſſibus urnas,
Dives ubi in luctu toto quæſitus ab orbe
Luxus, adhuc Reges invitâ morte fatetur.

Cætera Regnorum ſeries argentea longos
Tenditur in tractus, Aragonia, Corduba, Murcia;
Barcino, Toletum, Navarra, Valentia, Legio,
Tam nova, quámque vetus Caſtilia; Sunt ſua Regnis
Flumina, ſunt Montes, Bætim Sapphirus olivâ
Veſtibat: dederatque Tago diffundere mento
Ars, auri pluviam: minioque rubeſcere Mundam
Cædis adhuc memorem, Pompejanique cruoris.
Inde Pyreneos apices, viridemque Smaragdo
Fecerat Atlantem, ſed tunc cum ſuſtinet axem,
Poſſet ut ex illo dignoſcier, aſtra libenter
Regibus Hiſpanis ſe ſe committere, nullâ
Tutius & Mundi molem cervice ſedere.
Parte aliâ ſcopulis muralibus Apenninus
Erigit Italiam: ſunt hìc Inſubria Tempe,
Eſt & Parthenope, quantum eſſe tenerrima Virgo
Mollis in ære poteſt. Tribus exit in æthera linguis
Trinacris, Heſperiæ quæ Regum in bella fragoſam
Submittit Liparen, & fabrum fulminis antrum.
Hæc inter, clypei quà definit angulus, ultra
Auroram, & Gangem facies nova ſurgere rerum
Viſa, Geometris intacta, nec agnita libris;
Atque hic Columbus novitatis ut anxius: O' quæ
Terrarum facies Aretia! Quis ille beatus
Dic precor, auroræ cui clauſtra recludere primùm
Fas erit, & parvi Solis deprendere cunas?
Illa refert: veniet, quam non procul auguror, ætas,
Cum Gama, Luſiadas inter celeberrimus unus,
Eminùs audito quali te Gloria curru
Tollat ob Oceanum, pulchro certamine laudis
Actus, in Occaſu cum deſperarit honorem
Naſci poſſe parem, tecum contendet in Ortu;
Egreſſusque Tago, nimis arcto limite clauſum
Cre-

Credet iter, per quod proles Semeleia Liber
Egit pampineos frænatâ Tigride currus,
Taprobánam ultrà ſcrutabitur Amphitritem:
Nec, niſi quem callem ſibi fecerit alite velo,
Affectare volet: quæret nova ſemper, & ante
Quærenti Mundus deerit, quàm quærere ceſſet.
Attamen invidiâ externæ ne tangere famæ,
Te longè majora manent: vis noſcere? Mentem
Et magnis firmare malis? Huc conjice viſus.
Dixit, & inversâ clypei quâ parte latebat
Mundum obicit. Longo tùm tempore fabula viſi
Antipodes patuere: videt diverſa Columbus
Litora, diverſamque Thetin, Terramque, Polumque,
Quadrupedumque, hominumque genus, volucrumque figuras.
Qualis ubi teneri circum cunabula Mundi,
Implumes Zephyros, & primi temporis alas
Ludere vidit Adam, nec non aſpexit ad umbram
Infantes Dryades nemorum vagire ſuorum,
Obſtupuit viſæ perculſus imagine Terræ,
Æquævamque ſibi miratus vivere Matrem,
Non tamen & timuit vel tunc ſe credere Regem,
Cum populus jam nullus erat, non tecta videbat
Clara notis lapidum, non advigilantia caſtra,
Non famulos; Omnis ſtabat Natura ſed uni
Circumfuſa viro, famamque expoſcere viſa:
Res pulchras ſine laude tamen monſtrabat, aquarum
Terrarumque animas, & egennm nomine Solem.
Non ſecus objectu Mundi paulò ante reperti
In clypeo, tenuit ſtupida ora Liguſticus Heros.
Namque videbatur, velut India limine in ipſo
Obvia tota foret, Regnorum fræna ſuorum
Traderet Hiſpanis, cuperetque Hiſpania dici,

Quin tanquam obſcuras nova lis committeret Urbes,
De titulis certamen erat, cum poſceret illa
Hiſpalis, hæc autem mallet Granata vocari.
Se quoque cum clypeo, clypeo cognovit in illo;
Geſtantemque manu gladium, quem tempore eodem
Geſtabat manibus: videt hoc in vindice ſemper
Proſpera bella geri, donec victoria victis
Profit, & ingenti cum fœnore finibus Indis
Sic potiatur Iber, potiatur ut India Cœlo.
Dumque ea miratur cupidus pernoſcere, ſcuti
Par oneri num læva foret, geſtamen honorum
Sumit, & ad pectus, veluti concurreret, aptat.
Attactu caluere fibræ: conclamat, ubi hoſtis,
Hoſtis ubi, ô Virgo, quo cum decernere, munus
Seque probare tuum bellatrix lamina poſſit?
Quidquid habent Indorum armamentaria torui
Nos petat: armamur Mundo, cui bella movemus.
Vix ea, conticuit; patuitque loquentis in ore
Quòd faciet potiora manus, quàm lingua loquatur.
In quem deflectens Aretia humaniter ora:
Diſce, ait, ô fortis moderatius arma ſitire;
Virtutis pars eſt, virtuti ponere frænum.
Tempus erit, cum jam tandem delatus ad Indos
Cannibales Anthropophagos Te dente, tuosque
Ore voraturos deſcendere monte videbis;
Tunc pete præſidium clypeo: modo ſerviet hic, ut
Captivos comites reddat Tibi: non tulit Heros
Talibus auditis plura expectare, profatur:
Captivi Comites & quanam parte tenentur?
Quísve tenet? Dicam, reſpondet Diva: parumper
Differ ſcire tamen. Parcas Dea, ſubdidit ille,
Non vulgaris amor meus eſt in fata meorum,
Neſcit ferre moram: ad Gades projecimus olim

In commune animas, cum vela vocantibus auris
Navita rupturus funem, jam ſtringeret enſem;
Sæpè tamen pietas limen ſuaderet aviti
Reſpectare Laris, flentes in litore Matres,
Oraque natorum, Patrum clamantia nomen.
Viciſſet pietas, niſi eodem tempore, ponto
Ex Atlantæo nitidum caput oſtentaſſet
Gloria, detecto patuiſſet & India vultu.
Præcipitata mora eſt: divellimur, ipſa removit
India complexus, ſcidit oſcula, ſoluit amores
Antiquos, comitumque in pectora tranſtulit omnes;
Ortus amor tunc eſt; factusque flagrantior, ex quo
Una ratis nobis domus eſſe, & patria cœpit.
Quò magis obruimur pelago, turbamus & altos
Nereidum ſomnos, & nil, niſi monſtra, videmus;
Charior eſt homini ſpecies ſua: quóque recedunt
Conventus hominum dulces, magis hoc coaleſcit
In paucos natura, vagumque recolligit ignem.
Hos ne, meas quos eſſe manus, nervosque, torosque
Sentio, vinciri patiar quocumque tenentur
Carcere? Virgo jube quid agendum, quóq; petendum;
Nil moror: in Te omnis mea ſtat fiducia Numen
Auxiliare tuum perſenſi hùc uſque, nec unquam
Eſſe ſatis potero, peragam licet omnia, gratus.
Reddidit illa: jacet non hinc procul Inſula magnæ
Canariæ, hùc ſocios tempeſtas livida vexit:
Sceptra tenet Regina loci Theromantis, & unà
Fortunæ Antiſtes, Maga nobilis, altera Circe,
Quòd crudelis amabiliter, crudelior illâ;
Nam licet, ut fama eſt, Nymphe Titania ſuccis
Demeret humanæ ſpecimen præſtabile formæ,
Imprimeretque feram, tamen abdita pelle ſub hirtâ
Pars melior vivebat adhuc, citráque venenum

Mens erat ; Eumenidos tamen hujus ab arte, quod
extra eſt,
Ut fuit ante, manet : ſed mens in corpore ſano
Febre calet tacitâ, atque utinam mens tota periret :
Parcitur in pœnam, mens tantum vivit, ut erret ;
Et quia delectat, qui decipit, error amatur.
Quâ miſeros ratione leves, purgamina mentis
Ferre recuſantes, iraſcentesque medelæ,
Expediam ; ſed & ante brevi patiare quiete
Membra reſarciri : vim non emaſculat inter
Otia, ſed Virtus animos ad fortia ducit.

# LIBER IV.

ANTE renaſcentem Trojam quàm con-
deret exul
Anchisâ genitus, Cummææ munere
Vatis
Doctus iter ſtygium, nec non dela-
tus ad arua
Inde beatorum nemorum, cætusque piorum,
Vidit avos, & progeniem, Romamque futuram,
Ibat & Imperium poſiturus Ibericus Heros
Trans mare, transque diem, cujus tantummodo
menſor
Par foret auricomus curſor, dum lampade mersâ
Abdit equos, aliumque perambulat inferus axem.
Ergo Aretia, Ducem poſtquam cœleſtibus armis
Sepſerat, & famæ implerat venientis amore,
Excantare vafræ quanam Theromantidos artem
Arte queat, ſocios & inerti abducere nido,
Talibus orſa loqui. Elyſium ceu tangere mendax
Non datur, ante nigri, quàm Regna noviſſima Mundi
Quis ſubeat, tranet fluvios, immania viſat
Monſtra, Canem, Sphingas, Pythonem, Gorgonas,
omnesque
Anguſtantem animas centeni Ægæonis umbram;

Sic

Sic & ad illuſtres hortos, & amœna priusquam
Clauſtra veniretur, Theromantis carmine factum
Fortunæ adverſæ poſuit mare, docta malorum
Ex æquo vultus, atque incruſtare bonorum,
Sæva perinde his alliciat, ſeu terreat illis.
Unde Tibi ad Comites non tranſitus ante patebit,
Infortunatæ pelagus quàm ſortis arandum.
Macte animis tamen eſto, ratis cum Præſide Divâ
Sponte viam ſternet: Duce quâ formidinis expers
Sic gradiere per & Syrtes, fluctusque tremendos
Mortis imaginibus, ſuper Æthera fertur ut audax
Portitor horarum; videat licèt hac, licet illac
Fervere Centauros, & ſcintillare Leones,
Per tot monſtra tamen ſecurus vulneris exit.
Aſt ubi decurſo ſalebroſæ Doridos æſtu
Indignam Fortunatæ cognomine terram
Attigeris, captusque plagæ genialis amore,
Nare voluptatis pleno ſperaveris amne;
Tunc tibi pugnandum magis eſt, multumque cavendum,
Ne quoque cum ſociis in retia credulus intres.
Scilicet occurret famoſa Venefica, mirè
Comis ad inſidias: cumque invitaverit, otî
Nobilis ut clauſtrum ſubeas, foribusque recluſis
Limine conſtiteris, clypei velamine dempto
Nudum oſtende jubar, fatuis velamina rebus
Vivida lux reteget, manifeſtabitque latebras,
Protinus errorum ſquammas cadere ore tuorum,
Et ruere in præceps Numidis certantia ſaxis
Atria, ſubductis alabaſtrina tecta columnis
Aſpicies: dubitas, magicas evertere moles
Tantulus an valeat ſplendor? Metire lapillum
Diſſectum de monte, pedes vibratus ut imos

Perculit, Aſſyrio licuit num ſtare Coloſſo?
His ubi firmavit monitis Heroa, relinquunt
Virginei conclave laris, faſtigiaque alta,
Planaque deſcendunt, Ventorum ubi turris apricæ
Ducit ad introitum villæ, cui nomina fecit
Pulchra loci facies, quod pulchra videntibus offert.
Ut venere, vident pomaria, qualia naſci
Deliciæ optarent, quæ non Proſerpina novit,
Cum per odoratas valles intactilis Hyblæ
Ferret iter, preſſansque ſolum tot redderet illi
Planta, quot ex illo carpebat dextera flores.
Mille aderant fontes, ſtatuarum nomina mille.
Aſpida tractantis Cleopatræ nobile ſignum
Cernere erat, magis opprobrii, quàm ſanguinis horrens
Regalis Meretrix, mavult potare venenum,
Quàm Romam captiva trahi; nec dedecus amens
Fugit, adeſt Romæ plusquam captiva, dolori
Victaque ſuccumbit, ſaxique infamia vivit.
Nec procul, hac aliis ſerpentibus arma moventem
Laocoonta vident: medius patrem inter & hoſtem
Dividitur: ſua quærit amans defendere letho
Pignora, dumque putat natos, amplectitur angues.
Hæc utcumque oculis poterant mortalibus eſſe
Admiranda quidem ſpectacula, non Aretiæ
Aſſuetæ Cœli proſpectibus; accola parui
Sic tugurî, patrium ſolitus laudare lacunar,
Ædis ad urbanæ faſtum mirantia tollit
Lumina, quæ civis tanquam vulgaria tranſit.
Dumque tot è miris Heros, quid præferat, hæret;
Ecce ferax ramis centum Briareja Cedrus
Objicitur, quamvis vultum fateatur anilem
Cruda ſenecta trabis, viridisque in ſtipite ſanguis.

Nullæ

Nullæ aderant frondes : ſatis arboris ornamento
Eſſe videbatur cortex, circúmque, ſupráque
Hinc ſcriptus Latiis, & verſibus inde Pelaſgis.
Virgo Cedri cuſtos radicibus aſſidet imis,
Cincta comas hederis, adopertaque ſimplice lanâ
Et Virgo, quia dote caret. Quam maximus Heros
Cominus ut vidit : dic præſtantiſſima Nymphe
Quale tuum nomen, quid & hæc ſibi poſtulet arbor?
Vox mea, reſpondit, cum ſolas edere voces
Juſſa ſit ad numerum, me denotat eſſe Poëſim.
Arbor, quam cernis, noſtra eſt, de plebe nec una
Plantarum, geſtis à grandibus abdicat iſte,
Si neſcis, Lethen, & donat ſæcula cortex.
Quod ſemel hic fixum, carie delebile nullâ,
Igne, nec imbre Jovis, manet ære perennius omni,
Pyramidumque ſitu ſublimius. Aſpice, Achilles
Vivit adhuc, vegetusque, & qualem tempore priſco
Ætatis pictor veteris ſignavit Homerus.
Ramos cerne alios, nullum non dixeris uri
Ambitione, ſuique Herois nomine plenum.
Thebais hunc, illum latè Pharſalia veſtit,
Prima rates alibi eſt, & in arbore navigat arbor.
Qui tamen è cunctis caput arduus æthere miſcet,
Suſtinet Ænean : hic eminet immortalis,
Non minor imperio, quod condidit, ipſe futurus.
Tu quoque, ſi priſco vixiſſes tempore, magnam
Arboris in noſtræ partem, Columbe, venires;
Prælatumque duci Phrygio, te clara Maronis
Forſan in Heroëm legiſſet Buccina, ſi non
Actis preſſa tuis timuiſſet fabula vinci.
At vatem, quia nulla parem feret, ut reor, ætas;
Digna Sophoclæo qui perſonet acta cothurno;
Me comitem tibi junge viæ, ne ſperne puellam :
Eſt

Eſt hic, eſt animus mare ferre, tuasque phalanges
Inflammare tubâ, cantataque bella ſub illo
Cardine, in alterius famam transmittere Mundi,
Et totam noſtro veſtire poëmate Cedrum.
  Plura erat in cauſam dictura Poëſis, ab œſtro
Ut ſolet acta rapi; cui ſic divina Virago
Pro Duce reſpondit: nullam patiere repulſam:
Ne dubita, venies Indos, veniemus & ipſæ,
Nec ſolæ: mecum ſupremæ mentis alumnæ
Virtutes aderunt, & claſſem ponè ſequemur;
Signaque ne deſint, hæc accipe. Nobile primùm
Regalis Cubæ cum litus adiveris, atque
Nube ter elisâ tonitrus mugire ſerenos
Deſuper audieris: Tunc ſcito, meque, measque
Conſortes, terram tecum tenuiſſe petitam.
Quin Europæas animas ſylveſtribus Indis
Quæ fingant, mentes poliant, & moribus ornent,
Omnibus Europæ lectas regionibus Artes
Nube aliâ vectas, poſt terga venire jubebo.
Illarum neu te fugiant & nomina, & ora,
Inſuper, & ſtudia, & vires, huc lumina verte.
  Vix ea protulerat, non enarrabile velum
Promit; erat lateris geſtamen baltheus, ipſa
Dia Aretia manu nuper quem neverat, in quo
Se, comitesque ſuas, & honoras pinxerat artes.
Prima Fides, quæ fuſca genas, & candida corde
Sic patet, ut lateat: virgam fert dextera, cujus
Senſit ut imperium, leges natura remiſit,
Stare dedit ſtellis, & montibus addidit alas.
Proxima Spes illi, cui vota virentia ſemper
Eſſe in flore, viror ſmaragdi de cyclade prodit:
Cœlum habet ante oculos, & cœrula lumina, Cœlum,
Quòd tueantur, habet: de Cœlo cogitat abſens;
Vivit,

Vivit, ni potiatur eo, cupiatque potiri:
Votorum ſit compos, eam ſua gaudia perdunt.
Tertia de Nymphis formoſior una duabus,
Mater Amoris erat, ſed ob id mage pulchra, videri
Quod non pulchra ſuo quærit, ſed fortis amanti:
Ferrum amat, atque uni tantummodo Cœlicolarum
Conceſſum eſt optare mori, quia feruet ab æſtu.
Mille cicatrices aperit de corpore, ut ignem
Ventilet, & clauſo det reſpiramen amori:
Sic amat, ut pœnis tantummodò vivat amantis:
Sic amat, ut pretium nec amoris, amante requirat.
Tres Divæ, quoniam divino ſanguine cretæ
Summa tenent. Infra brevibus diſtincta ſigillis
Tela, Facultates animi referebat, & Artes.
Hic ut erat præſens Virgo Parnaſſia, primam
Se videt, utque elata ſolo ſuper Indica curſum
Regna ferens, Cœli expertem, indocilemque viarum
Bellerophontis agebat equum, ſtudioſaque montes
Hac, illac circumſpiciens regionis amœnæ,
Quærebat, quem de tantis Helicona vocaret;
Lætior aſſueto, ſperans fore, ut axe ſub illo
Sors ſibi, quam noſtro, melior contingeret Orbe.
Hanc prope matronæ duplices, quarum altera viſu
Aſperior, ſcalprum; præmollior altera gaudet
Arma tenere manu diſcordia, lumen & umbram.
Stabat & utiliter mulier quæ præſidet aruis,
Uſta genas, flavisque caput velabat ariſtis:
Illius ante pedes marræque, & ſarcula ſplendent,
Arma ignota, boves etiam, quos Serica junctos
Fecit acus, nivei per fila argentea candent,
Et juga fraterni non indignantur aratri.
Has, aliasque ſacer reddebat baltheus Artes.
Inferiore ſitu, velum quà deſinit aureum,

Tres

Tres aderant ætate pares, & ſorte puellæ;
Auguſtæ membris, auguſtæ veſtibus omnes,
Ut facilè ex ipſo comptu deprendere poſſes
Reginas, Parteſque Orbis, quibus addita nuper
Quarta minor natu, ſed & hæc regalis, ut illæ,
Et forſan non pulchra minus; Sed vitta negabat
Interjecta genas, ſpeciem ne proderet oris.
Talis Agonali celeberrimus æquore circus
Quatuor oſtentat fluviorum nomina, Reges,
Omnes marmoreos, omnes impendere juſſos
Urbis in obſequium dominæ vectigal aquarum.
Tres licet exhibeant canis argentea ſpumis
Ora ſenes, tollantque animos, quod viliter orti
Donentur Latio, mereantur & eſſe Quirites,
Agreſtes ante indigenæ; Tamen unicus inter
Undiſonos fratres, obnubit lumina Nilus,
Urbe velut pudeat terrarum Principe coram,
Cunarum paupertatem monſtrare ſuarum.
Tergeminæ Regnatricis ſic Iconas inter
Quarta ſui deſiderium facit abdita vultûs.
Tunc ita Diva loqui: forſan ſcitabere, quæ nam
Iſta ſit? Hanc Numen Terris, quas ipſe recludes,
Quasque repertores alii tua vela ſecuti
Certatim retegent ſtatuit præfigere Divam;
Atque ut Americo de Conjuge, nomina Conjux
Ferret Americæ. Verùm quia lectus & ipſe es
Primus, ut Indorum penetres impervia clauſtra,
Teque ferente facem nautis ſcrutantibus inde
Occaſum, nequidquam altâ defendere nocte
Tempus ad hoc clauſas conabitur Heſperus Urbes;
Omnibus idcircò prælatus munere noſtro,
Dignus es Indorum Dominam cognoſcere primus.
Hæc ubi dicta, removit acum, quæ fixa ligabat
Vittam

Vittam interpoſitam : Mulier tunc Inda refulſit
Digna coli, nec pulchra minus, quod barbara vultu;
Quin è longinquo veniens formoſior eſſe
Viſa magis : potuere minus placuiſſe Sorores.
Non ita progeniem poſt annua bella reverſam
Mater amabiliter flexis miratur ocellis;
Ut picturatâ Columbus Virgine pendet,
Quam, quia debebat proferre in luminis auras,
Jam tunc, ut genitor ſpectabat amore parentis.
Quem Dea reſpiciens : ô de mortalibus, inquit,
Maxime, ſi neſcis, hæc Cubæ Filia Regis;
Qualis & hìc velata genas apparuit ante,
Talis & occurret, Cubæ cùm veneris oram,
Vivens Virgo tibi, pendens è vertice ſaxi,
(Proh facinus!) religata manus, adopertaque vultum,
Præda futura necis, monſtroque litanda marino.
Sic placitum Superis noviſſe volentibus, antè
Quam ferat imperium, par ſit Regina ferendo.
Tolle animos : virtute tuâ ſervabitur illa,
Tuque meâ, victorque redibis opimior hoſte.
Ipſa obices adimam, ne linguæ incognitus uſus
Gentibus ambabus diverſa ſonantibus obſtet.
Quippe feros animos ſic verba ad inhoſpita fingam
Ut potiùs ſermo non imperceptus amicet.
His, aliisque Ducem monitis, ut Diva Virago
Erudiit, vultu tanquam diſcedere vellet,
Vive mei memor, adjecit, neve excidat ullo
Tempore noſter amor, manuum cape dona mearum
Ornatum lateris : ſed ſic geſtare memento,
Ut qui Divarum vultus pinguntur in illo,
Altiùs inſideant animo; Nec plura locuta
Columbi manibus velum cœleſte reliquit,
Accipit ille datum, ſacris dumque oſcula mille
Fige-

Figere imaginibus, gratesque referre pararet;
Dia Aretia, comis quos preſſerat ante, nitores
Ire iterum circum ſplendentia tempora juſſit:
Raptaque mox levitate ſuâ, non alite curru,
Tollit humo corpus, patriisque revertitur aſtris.
Dux oculis poſtquam fugientem, & voce ſecutus,
Uſquam non reperit, convertit lumina retrò;
Quærit, ubi modo ſit cum Templi mole, tholoque,
Circuituque columnarum, claroque vireto
Vaticana Domus, nil invenit: aſper ut ante
Montis apex occurrit, opertus & undique fumo,
Horrendumque tonans, lambentibus aëra flammis.
Apta viæ tantùm patuit propè litora cymba,
Gratia cui nomen mirando prædita ſenſu,
Non opis externæ, nullius & indiga veli,
Velaque motantis nullius & indiga venti,
Sponte movebatur: quin & quò tendere vellet
Vector, eò, votum ceù præſentiſceret, ibat.
Imò & velle dabat, nec tantum velle, ſed ultra
Poſſe impune fugam per iniqua, per invia ferre.
Nympha gubernaclo moderatrix fida carinæ
Præſto erat Euphroſyne, Columbum reſpicit: ille
Luce priore Deæ nondùm ſatur, Æthera versùs
Stabat adhuc oculis vel poſt ſpectacula fixis.
Percuſſæ quales Citharœdi pollice chordæ,
Ut tandem ſiluere, manet tinnitus in illis,
Et dextrâ ceſſante, quies immurmurat ipſa.
Stare virum Cœlo intentum, immemoremque viarum
Non tulit Euphroſyne: cur ô! teris otia, clamat:
Tempora, quæ magnis data ſunt Heroibus, æquo
Non pede decurrunt, momentum quodlibet horum
Si ſit iners, res ſemper agi cum maxima poſſit,
Eſt jactura gravis: tenet heu! tenet alta ſodales

 Erro-

Errorum caligo, diem quid ferre moraris?
Quare age, rumpe moras, mentem excute, ſcande carinam.
Vocis ab imperio ſibi redditus ille, volemus,
Quò me cumque venire jubes, reſpondit: & acto
In navim ſaltu, terris ſubit alta relictis.
Non ita miſſa ruunt Baleari ſaxa lacerto
Telaque Cydonio ſic evibrantur ab arcu,
Ut pennata ſuper volitabat Gratia fluctus.
Jam vada tranſierant nullis obnoxia larvis,
Naturæ certis parentia legibus; ecce
Conſtitit ante oculos aliud mare: nocte, dieque
Turbine mota fluit, refluitque reciproca Tethys,
Et clamoſa ſuo cum litore litigat unda.
Mille homines illic, pereundi mille figuræ
Apparent: alios ferri ſuper Æthera ſpectant,
Mox ruere ad manes: quoſdam ceſſantibus auris
Defigi torpore ſali, nec tendere contra
Poſſe, retrò curſum nec flectere, perdere juſſos
Spem quoque naufragii, tanta eſt ignavia fluctûs.
Attonitus novitate maris, circumſpicit aſtra,
Ancipitis conſulta viæ capere unde ſolebat
Hiſpanus Typhis: quid ſpondeat Urſa, Venusque
Quærit, & Arctophylax; ſed amicæ fugerat omne
Præſidium ſtellæ, tantummodo torvus, & ater
Et viſu horribilis, ſuaque inter fulgura claret
Evaginatus nimboſi Orionis enſis.
Tunc ait: hoc ne illud mare, quod prædixit arandum
Dia Aretia mihi, truculentum, lugubre, ſævum,
Infidum ſummis æquè, minimiſque carinis?
Illa refert: hoc illud erat; vada turbida ſed Tu
Ne ſtupeas; Hominum potius mirare ſupinam
Craſ-

Craſſitiem, quibus ante oculos cum naufraga portet
Tempeſtas tabulas, & corpora functa natantûm,
Non tamen & metuunt temeraria lina procellis
Tradere : quin adeò cœci, & rationis egentes,
Lucrari ut ſortis credant audendo favorem.
Excuſanda aliquâ tamen eſt in parte phreneſis :
E' regione vident felicia regna (cupido
Inſita cuique boni quoniam eſt, & velle beari)
Hinc capti laruis, præfert quas Inſula felix,
Illuc vela citant, ſtolidarum more volucrum
Ex intervallo vitri quas lucidus error
Fallit, & in caſſes viſcato lumine ducit.
Tanta libido lucri, vitæque oblivio, tanquàm
Non lucrum vitæ, ſed lucro vita paretur :
Tantaque nox animis, ut cum tot carbaſa mergi
Præ ſe conſpiciant, nil caſibus ex alienis
Admoniti, veniant pejora exempla daturi.
Hoc iter audendum nobis, neu cauſa timendi
Sit Tibi parva ratis, Fortunæ per mare magnum
Quò brevior trabs eſt, eadem minus obvia damno.
 Hæc ait, & fauces cantati marmoris intrant.
Ibat ſaxa ſuper, ſyrtesque citiſſima cymba;
Strideret & quamvis loca ſubter iniqua, citatum
Continuabat iter : velut ungula quadrupedantis
Pulſat humum ſonitu, volucresque ſupervolat Euros.
Audiri interea fragor incipit illiſarum,
Fractarumque ratum, clareſcunt ſigna ruinæ ;
Qui periere tamen communi in ſtrage latebant,
Reddidit unda vomens donec ſuper æquora nantem
Diverſorum Hominum mercem, ſine pondere vanos
Mercatorum abaces, nudas & aromate ciſtas,
Rapta cruentatis bellantûm cingula lumbis,
Aulaï in longâ tritos ſtatione galeros,

Doctorumque togas, & pallia Cauſidicorum,
Hæc ſuper, & Vatum lauros, & naufraga plectra;
Scriptaque præſertim Dominos palpantia dites
Laudibus argutis, roſi ſapientia morſum
Unguis, & ad fumum ſterilis vigilata lucernæ.
De genere horum Hominum magnam ſors perfida partem
Obruit; At quibus ignovit, quibus & dedit imo
Surgere de fundo, ſuperasque emergere in auras,
Hi ſua ad ingratum tollentes brachia Cœlum,
Accuſant Superos, & de virtute queruntur.
Magnanimum Heroëm miſereſcere publica fata
Viderat Euphroſyne cui ſic converſa profatur.
In brevia, & ſyrtes, & ſaxa latentia, visûs
Privati plerúmque ſolent offendere lintres.
Noſcere vis ſcopulum, quo grandia carbaſa Regum,
Sortis & à longo jam faſtidita favore
Allidunt, huc flecte acies: & talia fata,
Ardua ſurgentem ſuper Acroceraunia, ſupra
Latratorem uterum Scyllæ, aëriumque Caphareum
Oſtendit ſcopulum, tunc his reſecuta videntem eſt:
Cernis? In hanc rupem gauli, validæque triremes,
Impingenda ferunt malè parta æraria Regum.
Ut reliquos mittam, Crœſo cum divite, Xerxes,
Cæſar, Alexander, Marius, Pompejus, Atrides
His fregere petris diademata: quasque regendas
Sors dederat, rapuit, raptasque reſorbuit Urbes.
Pœna fuit fortuna prior: nec atrocior ulla,
Quàm memori vigilat quæ mente, fuiſſe beatum.
Te quoque, felices inter numerande virorum,
Antipodas poſt aſſertos, atque Indica regna,
Par fatum, graviusque etiam fortaſſe maneret,
Ni Superi abnuerent. Cum diceret, ecce Columbus
Neſcio

Neſcio quam, ſimilemque ſuæ ſibi viſus habere
Ante oculos navim: primò conterritus hæſit,
Cominùs utque eadem magis eſt admota, magisque,
Signa recognoſcit prætoria, ſe quoque vinctum
Cernit ibi, illuvie fœdum, ſtrictâque ſonantem
Compede, & Hiſpano circùm cuſtode teneri.
Omine turbatus: quæ monſtra incondita! dixit,
Vera ne larva mei? Sum nomen & ipſe daturus
Huic aliquando mari? Infelix non eſſe recuſo,
Dummodo labe vacem: nam quid ſibi carcer, & iſta
Vincla volunt? Miſerum facient ſi vincula tantùm,
Nil doleo: doleo ſi ſint factura nocentem.
Si quid in Hiſpanum (quod abominor) eſt mea Regem
Peccatura Fides, vindex, caput hoc, caput antè
Numen dede neci, facinusque intercipe naſcens;
Dummodò conſtiterit ſibi mens bene conſcia facti,
Non eſt cur retrahar cœptis à grandibus, ibo,
Livor & à tergo veniat licèt, atraque famæ
Toxica non ceſſet diffundere; Me mea ſemper
Abſolvent benefacta, negabit & India ſontem.
Dicebat; cui ſic demiſſo lumine Virgo:
Vera nimis de te ſpectas in imagine fata,
Orbem alium invenies, nequeunt & quod dare Reges,
Regibus ipſe dabis: quid Te poſt grandia credis
Dona relaturum? Fidei culpabere læſæ:
Et rate, quâ ventis paulò ante verendus, & undis
Jura mari dederas, captivi more, modoque,
Non ita donandus, remeare jubebere Gades.
Te reducem flebunt Indi, miſerataque caſus
Doris amara tuos, dejectum Præſide tanto
Vel non agnoſcet, vel cognoviſſe pudebit.
Tu ne cede malis: fraudi Rhamnuſia plantas

Eſſe breves voluit; retegentur ficta, diúque
Pœna nec eſſe ſinet felicem crimine linguam:
Artificem repetet ſua machina; Tu cruciatu
Exploratricis limæ ſplendentior indè
Redditus, Hiſpanæ fies acceptior aulæ.
Mox nota dedecoris tergatur ut omnis, ad Indos
Rurſus ages ſummi Prætoris nomine claſſem.
Qualis, & ô! quantus, ſortem per utramque probatus,
Gentibus occurres: talis ſpectabere, qualis
Tigris in Armeniâ, poſtquam telluris hiatu
Obrutus, & nullus jam creditus, auctior exit
Eluctatus humum, ſpumoſaque cornua tollit,
Teſtaturque palam, præmagnæ accedere ſemper
Et vires, animosque per infortunia famæ.
Quin tua progenies, & quæ naſcetur ab illâ,
Vellere conſpicuo donabitur arietis aurei;
Dives ovis Phryxi Hiſpanis Magnatibus eſto,
Sit commune decus: tanto geſtamine digna
Illa magis domus eſt, quæ Jaſona miſit Iberum.
  Talia dum memorat, ſimul & lenitur ab iſtis
Cura Ducis; motûs miri jam cymbula totum
Larvalis pelagi ſpatium confecerat, utque
Appulit Heroëm terræ felicis ad oram,
Ipſa nec ulterius conſpecta, nec Arbitra cymbæ.
Ille ubi ſe vacuum tranquillo in litore vidit,
Fert oculos circum, nùm de mortalibus ullum
Anxius aſpiciat, nullus, quem cerneret, adſtat:
Nuda ſui tantum vox corporis aëra rupit,
Indigenam Sirena loci cantare putares:
O' felix, nimiúmque faventibus edite Divis,
Tangere cui portum licuit, quò navigat omne
Humani votum Generis; ſed tangere paucis
Conceſſum, ſolique Tibi; felicia tecta

Ingre-

Ingredere, & felix jam nunc aſſueſce vocari.
Ante tamen noſtrum, quidquid gravat, exue limen;
Mitte maris curas, atque obliviſcere ventos:
Hæc mutandorum ſitis impacata locorum,
Multum febris habet, quæ parte quieſcere nullâ
Te ſinit, & pelagus nunc hoc, nunc verſat in illud.
Ultima curarum pax linea, pace potiri
Terra dabit, dici meruit quæ nomine Felix.
Hìc, quam quæris, adeſt Tellus nova: gaudia longa
Nauſea non ſequitur, fletus non aſſecla riſûs,
Et timor omnis abeſt, careat ne fine voluptas.
An ne carere fide mea credis dicta? Subito
Molle jugum clivi propioris: vertice ab illo
Quà patet, imperium Dominæ ſpeculabere noſtræ.
Cantabat: canor ille tamen prædulcis, & ultrà
Orpheos numeros ſuadere potentior, aurem
Non aliter Ducis auſteram deliniit, ac vis
Aſſilientis aquæ ſcopuli latera ardua circùm
Latrat inutiliter, confeſſa fremore repulſam.
Carpit iter, nec qui greſſum remorentur euntis
Deficiunt obices; arbos hinc inde locata
Semipuellarem veſtibat ſtipite formam:
Ceu Daphne primam poſuit cum verſa figuram,
Infrà truncus erat, mulier formoſa ſupernè.
Aſper ad has Heros, Daphneque ſeverior ipsâ
Tranſit, & in virides obliquat lumina Nymphas.
Summaque jam clivi conſcenderat, unde vireti
Sumere proſpectum, ſpeciemque expendere poſſet.
Qualia ſecretæ fabricaſſe palatia Pſychæ
Fertur Amor; vel quale ſolet Meſſana ſub undis
Cernere conſpicuum muris, & monte theatrum,
Ipſe ſuâ quoties referitur imagine portus,
Miraturque videre parem, dubitaret ab illo

Forſitan & vinci, niſi quòd contendere poſſit
Cum vero falſus, foret hæc quoque gloria veri.
Tale quid ante Ducem mendax Fortuna colorat.
Ille ſcit eſſe quidem ſine corpore, corporis umbras
Qualia de pluviis veniunt ſpectacula pictis,
Quæque diem contra dant motæ colla columbæ:
Hinc dubitat, num res, án ſint imitamia rerum,
Ignoſcitque ſuis, ſimilique errore fatetur
Se potuiſſe capi: tantum videt artis in arte.
Tum veritus, nimiùm ſua dum pupilla jocatur
Circum ſpectra vafris volitantia pelliculis, ne
Captus & ipſe foret, declinat lumina, Seque
Talibus admonitis hortatur, & armat Honeſto.
Heu! quota pars hominum ſanâ cute turpius errat,
Et ſtertit vigilans, & lumine laudat aperto
Somnia, proque bonis ſequitur ſimulacra bonorum.
Æſtuet à nullis quamvis mens ſaucia philtris;
Sponte ſed inſanis, nec delirare coactis
Danda tamen venia eſt: maga fit ſua cuique cupido.
Me Comitum miſeret; Sed & hos haud longiùs ipſe
Inſanire ſinam, tenuit ſat ſcenicus error:
Fas tandem ponat feſtiva tragœdia finem.
Et quia non alia ſolvendus vindice nodus
Quàm præſente Deo, nodus ſolvatur ut iſte,
Jam Deus interſit. Dixit, clivoque relicto
Intrepidus molitur iter, quo divite muro
Aurea præcinctum munibat Janua ſeptum.
Intereà Hiſpanos hilares dulcedine clauſtri
In nemus illud idem, veluti de more ſolebat,
Canaridum ſtipata choro Theromantis adibat.
Viſere per luſum veluti vivaria ſæpe
Rex gaudet ſibi de Pario quæ marmore fecit,
Ut nolente mari, portum gula ſemper haberet,
Deli-

Deliciaſque darent oculis, qui deſidis undæ
Pace ſaginati ſaliunt in gurgite piſces.
Fortè propinquarat foribus, quo venerat Heros
Tempore: Vix illum formâ greſſuque decorum
Flagrantemque videt cœleſtibus inſuper armis,
(Ut mollis, facilisque capi, nec amoris abhorrens)
Capta repente fuit; qui ſit, cùm neſciat, unum
Eſſe putat de captivis, quantúmque licebat
Conjicere ex cultûs inſignibus, arguit illis,
Eſſe Ducem; gaudet quod nullo parta labore
Venerit in caſſes ultrònea præda, futura
Chara ſibi magis hæc, quam quas poſſederat omnes.
Acceſſit, prensâque manu, dictáque ſalute:
Quid petis hinc? quæ cauſa viæ? quibus hoſpes ab oris,
Quâ rate veniſti? reddit cui talia ſupplex
Ore quidem, ſalvâ ſed Majeſtate Columbus:
O' Tellure tuâ Regina beatior, uni
Cui licet, & fas eſt alios feciſſe beatos;
Cumque tibi in majus nequeat jam creſcere Regnum
Deliciis, opibusque fluens, per regia gaudes
Munera, victuræ fines extendere famæ.
Quod reliqui peterent, non oro, at divite cenſu
Exornare velis, & me felicibus addas;
Dummodo deſierim paulùm miſer eſſe, mearum
Hæc eſt ſumma precum. Si neſcis, Claſſis Iberæ
Dux ego nuper eram, per & hæc maria invia lætus
Vela dabam ventis, cum pontus inhorruit, imæque
In Cœlum glomerantur aquæ, prior ipſe repellor,
Submoveorque meis violento turbine: poſtquam
Actus more pilæ diverſa per æquora, tandem
Lintris ope exigui veſtras ejector ad oras.
Turba comes, vitâque eadem mihi charior iſtâ,

Luce ne veſcatur, ſive indiga lucis, & urnæ,
Has circumvolitet terras, noſtramque requirat,
Imploretque manum, cumulum quæ donet arenæ,
Dicere non auſim: clementi munere Divûm
Quæ ſi ſpirat adhuc, ſi forte moratur apud Te,
Viſere da precor, & numero me redde meorum:
Qualemcunque ferunt ſortem perferre paratus,
Unanimis, felix non eſſe, miſerve recuſo.
Talibus orabat: contra cui talia reddit
Saga perita dolos hilari prætexere riſu.
Mitte graves curas, & verba ſonantia queſtus,
Hoſpes amice, decent alias hæc nomina terras,
Inſincerus ubi riſus, nec mella bibuntur
Ulla voluptatis, quæ non aſpergat amaror.
Hìc ubi cura procul, dolor exulat, almaque Regna
Pax tenet, & Charites volitant in veſte ſolutæ,
Exercenda tibi ſupereſt ars unica (diſci
Atque eadem facilis, nulli non inſita cordi)
Scire frui: felix fieri patiare libenter.
At cave, nè partis careas, ſi neſcius uti:
Vivunt amiſſi Comites, deſiſte timere;
Et quia de geminis Fortunæ vultibus, omne
Quod timeatur abeſt, & adeſt quodcunque cupitur,
Hi verè vivunt: numero reddêre tuorum,
Quæque Ducem deceat, majore beabere ſorte.
Diſtrahat ulteriùs nè te mora longa videndi,
Porta renidentis quæ ducit ad otia ſylvæ,
Hæc eſt, quam ſpectas, unà ingrediamur; & inter
Verba, fores pulſat fatalis cuſpide virgæ:
Pulſatæ ſonuere, patentibus illicò valuis
Clauſtra relaxantur. Solers non perdidit Heros
Tempora, ſparium clypeo detraxit, & altè
Extulit ad Solem. Vix lamina viſa refulſit,

Implevit ſplendore locum: pars luminis intrat
Speluncam, pars exteriùs diffunditur, extrà
Quæ venit, inſueto trepidantia percutit ictu
Ora Sacerdotis, conſternatumque nitore
Corpus humo affixit, mentem ſpoliavit & arte;
Altera fulgoris pars introgreſſa viretum,
Utpotè temperie Divini prædita Veri,
Se coram non paſſa dolos conſiſtere, fucum
Diſſipat, & larvas miniato cortice nudat.
Forma tripartiti collis lætiſſima viſu,
Dignaque de radiis eadem contendere Soli
Nulla fit, eclipſi velut intercepta latet lux:
Ille modo & trabeis circumveſtitus, & oſtro
Conſpicuusque togis, fumi rareſcere ritu
Viſus Honoris apex: quæ poma videntibus aurea
Prætulerat de flavicomis Opulentia ramis,
Tacta velut Scythico fuerint Aquilone, jacebant.
Molle voluptatis Regnum ſic denique totum
Vanuit, ut propiore ſolet Titanis ab igne
Saucia fœminei ceruſſa liqueſcere vultûs.
Frons antiqua redit, qualis fuit ante reſumit
Sylva ſenectutem nemoralibus hiſpida plantis.
Intrat in hanc properè ſucceſſu fervidus Heros,
Veſtigatque ſuos: Erneſtum repperit, inde
Alphonſum, & Vaſcum, fixi ſtupida ora tenebant
Illicibus ſimiles, atque immotis cypariſſis.
Victor adit, quamvìs & nomine quemque vocaret
Sæpe ſuo, non prop̃tereà torpore ſoluti
Se ſibi reſtituunt: tandem ceu languida tollit
Lumina, qui longo digeſſit Maſſica ſomno,
Agnovere Ducem, flentes dant oſcula flenti;
Dumque parant avidi circumdare brachia collo
Illius in manibus ſcutum mirabile ſpectant

Viſum

Viſum nunquam aliàs : oculis nec cernere tantùm
Aſpera ſigna volunt, manibus contingere gaudent.
Mira fides! acies quò plus ab imagine pendent,
Expenduntque notas, mens ſanior incipit eſſe.
Jam redit Oceanus, redit India, tantaque ſerpit
Ora per, & fibras non inſinceta voluptas,
Ut nemo narrare Duci ſua ſomnia poſſit.
At famulas inter trepidas collapſa Sacerdos
Reddita fomentis poſtquam ſibi conſtitit; utque
Sanguineis horrens maculis, & pulvere fœdum
Os circumduxit, nec Averno murice claros,
Vel ſibi mirandos quæ fecerat, invenit hortos,
Non graphici ſeptum muri, non ex adamante
Limen, & Heroëm non ipſo in limine ſtantem;
Hunc rata, cantatum ſibi qui potioribus armis
Evertiſſet opus, nec non irata latronem
Plus linguâ potuiſſe ſuâ, ſtetit icta dolore
Excutiensque comas, ſic tandem turbida fatur.
Perfide, capta tuis, fateor, ſum fœmina verbis,
Captaque ſum vultu : Te ſupplicis ora referre
Tam bene quis docuit? cùm me paulò ante rogares,
Hoſpes, an hoſtis eras? Sed non lætabere longùm
Proditione malâ : vis eſt mihi fortis in umbras
Majores Erebi. Non Tu, nec turba tuorum
Suaviter illudi larvis meruiſtis amicis,
Quæ vos oblectent : alias Acheronte vocabo.
Ingenio certare putas? vincêre profectò.
An quos felices potui feciſſe, verebor
Ne miſeros faciam? Vix hæc effata, vagari
Dat per colla comas, ſtringit manus effera virgam,
Pulvereoque pavimento tres imprimit orbes:
In medioque manens, bis ſe convertit ad Ortum,
Et bis ad Occaſum, tùm ſic horrenda profatur.

Har.

Harpyiæ, Scyllæ, Centauri, Gorgones, Hydri
Hùc hùc adventate, ſepulta relinquite regna:
Fortunæ & Bromii vobis viridaria trado.
Gramine quo teneri nuper luſiſtis Amores,
Sibilet hic Python, & Janitor allatret Orci.
Hiſpani quantùm lætati huc uſque fuere,
Tantundem doleant, vertatur ſcena, jocoſis
Triſtia ſuccedant: fuit ut ſua cuique voluptas,
Sit tortor cuicunque ſuus; tamen agmine facto
Mortem intentantes tortis ſerpentibus omnes
Præter & ora Ducis volitate, & pectora, Manes.
Hæc ubi verba dedit, ſiluit: cantamine dicto,
Crediderat patuiſſe Stygem, ruptisque catenis
Aſtra ſuper, manibus veniſſe Typhoëa centum.
Nil videt: ingeminat nova murmura, clamat & ô quis
Aſſuetos primo linguæ parere ſuſurro
Torpor habet lemures? hùc, hùc mihi ſubdita ſaltem
Turba veni. Quò Mœror abis, Infamia, Fletus,
Et Dolor, & Macies, & plena pudoris Egeſtas?
Nondùm mugit humus? nondum laxata dehiſcunt
Tartara? nullus adeſt in noſtrum dedecus ultor?
Nullus adeſt: iterabo ſonos; nec plura locuta,
Ore, manu, plantis omnes interrogat umbras.
Nulla venit. Surdum Plutona ut denique ſenſit,
Exululat frendens: Me ne advena, naufragus, ex-
ſpes,
Vilis, inermis, inops impune irriſerit? & quâ
Tollebar jus omne ſupra, ſpoliaverit arte?
Quò vires abiere meæ? niſi ſum, velut ante
Chara Diis Erebi, procul hinc inſignia vanæ
Ite Sacerdotis. Dixit, vittamque capillis
Abjicit, abjectam pedibus proculcat, aitque
Inde ferox: ad me vos quando venire negatis

Tartarei Manes, ad vos properabo venire.
Dixit, & incluſum virgâ quod ferre ſolebat
Educit ferrum, ſtrictumque in pectore condit.
Accurrunt properè Famulæ, Dominamque labantem
Corripiunt, manibusque regunt, levat illa gravatos
Morte oculos, Cœlumque ſibi noctеſcere ſentit:
Exanimem reddunt aulæ ſtratisque reponunt.
Fit dolor, attonitamque excurrit fama per Urbem.
Jamque excantato victor remeabat ab antro
Columbus, præ ſe Comites oſtendere gaudens
Imperio nuper Dominæ crudelis ademptos.
Talis, & Alcides cum Theſea, Pirithoumque
Faucibus eduxit non extricabilis Orci,
Ibat ovans, Grajas & circumferre per Urbes
Geſtibat; neve ex Erebo veniſſe lateret,
Pallor amicitiæ, qui ſederat ore, monebat.
Tunc iter ad portum celerant, quò venit ubi Heros
Permiſtus Sociis, ut inexpectatus, & ultra
Mortalem ſpeciem ſplendeſcere viſus in armis,
Navibus exiliere omnes; glomerantur in unum
Nautæque, Proceresque avidi cognoſcere vultum,
Gratari reditus, & amicam tangere dextram;
Seque, illumque premunt: potuit reverentia lædi
Impete concursûs, excuſant gaudia culpam.
Acceptis ille officiis reſpondet: in omnes
Oſcula, complexus, & conſolantia verba
Dividit ex æquo, miſcet Patrem, Ducemque.
Sic redit ad nidum quoties circumvaga Progne,
Implumes lætantur aves: dat, & accipit unà
Lætitiam genitrix, roſtro quo porrigit eſcas
Quæſitas natis, illo ſimul oſcula figit:
Servit egeſtati, ſed non & omittit amorem.
Sedula non aliter Ductoris cura, Sodales

Alle-

Allevat alloquiis, & eodem tempore naves
Quaſſatas ſarcire parat, numerumque recenſet,
E ſeptem deerat prætoria, quam Tenariffæ
Litore deſertam meminit, nequiitque reverti
Ocyter, à Superis aliò deflectere juſſus.
Dumque ubi ſit, dubitat, num litore perſtet eodem,
Arſerit an flammis vicini ſubdita montis;
Non procul à pelago tenſis accedere velis
Aſpicit ad portum, nova res ſed gaudia turbat.
Namque videbat, uti luctûs manifeſta recentis
Signa daret malus, ferrugine tinctus Iberâ:
Turbatur, pietasque animum dubitare coëgit,
Natus an occiderit, quem puppe reliquerat illâ.
Utque ſolo primùm ratis eſt admota, prior Dux
Litore conclamat: ſpecimen quid habentia luctûs
Hæc ſibi vela volunt? Ubi nam Fernandus? Amici
Dicite: vivit adhuc? Auditâ voce Parentis,
Ante alios ſalit in litus Fernandus: & adſum.
Adſum, ait, & vivo; Tun' vivis? an ipſe ſepulti
Fallor imaginibus, ſpirantis & intuor umbram?
Hic color, hic habitus, nigrantis lina carinæ,
Me non, ut reris, Te lamentantur ademptum:
Scilicet à nobis poſtquam quæſitus in omni
Parte diu fueras, nec parte repertus in ullâ es;
Tandem fama tulit, Te præ dulcedine Veri,
Dum nimis affectas incendia viſere Montis,
Exhalaſſe animam: tam cominùs indignante
Vulcano humanis oculis ſua clauſtra videri.
Vulnus ad auditum, Tu collige, qualis in omnes
Mœror iit: primùm nil auſi dicere, muto
Ore loquebamur: gelidis ſtupor omne ligarat
Senſibus officium, lacrymasque extinxerat ipſas.
At poſtquàm immani mentem collegimus æſtu.

Tunc orbam rectore ratem candentibus alis
Exuimus, ſimileſque animis ſuffiximus atras.
Qualis ab exequiis redit uxor amica mariti
Plena rogo, poſtquam cineres, quos pectore mallet
Æternùm ſervare, fideli condidit urnâ,
Tonſaque depoſuit crinem, & dedit oſcula Saxo,
Non ſepelit lacrymas, ſed nigrâ in cyclade damnat
Florem ævi, ornari ſolo contenta dolore.
Mens remanere fuit, nec eodem cedere portu,
Ad nos certa magis de Te niſi fama veniret;
Non licuit, ſiquidem rupti crateris hiatus
Cœperat exundare, imoque evoluere fundo
In mare cum tonitru radicitùs eruta ſaxa.
Tum verò attoniti ſuper impendente ruinâ,
Terga damus, profugoſque timor ſic mortis agebat,
Eſſet ut in votis, ut quæ Te monte ſub illo,
Fluctibus in mediis eadem nos flamma cremaret.
O! nec ſperandum nimiùm felicibus unquam,
Nec deſperandum miſeris: quo tempore rebar
Omnia defeciſſe, rates, ſociosque, Patremque;
Invenio ſocios, claſſem, & ſuper omnia Patrem.
Fare tamen, ſi fas, ſpatio quæ temporis hujus
Vultibus abſentem noſtris Te cauſa removit.
Non ita de facili fieri potuiſſet, ut Ipſe
Navis amans adeò, malefido in litore ſolam
Deſereres, noſtri oblitus, comitumque tuorum.
  Talia dicentem Dux interpellat: amoris
Argumenta mei ſatis explorata, Sodales,
Eſſe puto, nullumque fuit, mihi credite, tempus
Utilius claſſi, quàm quo ſum creditus eſſe
Et cinis à vobis, & lamentabilis umbra.
Quod supereſt, veteres animo depellite luctus,
Primaque ſit Superûm grates expendere Regi,
Cura

Cura ſecunda viæ. Nunc ite, & claſſis ad uſum
Fortunæ reſecate nemus, deque abjete cæsâ
Ædificare novam properes, Fernande, carinam,
Cui mando, ut præſis, & ut hæc Fortuna vocetur,
Nomen in omen eat, puppi contingat & iſti
Prima ſalutatos Indos ut donet Iberis.
At quia jam pœnas Theromantis perfida ſoluit
Quoſque voluptati Manes ſervire coëgit
Ante ſuæ, nunc carnifices ſub Tartara ſentit;
Illius in vacuas ſedes, aulamque vacantem
Intremus rerum Domini: data tempora poſtquam
Navibus armandis fuerint, iterabimus æquor.

# LIBER V.

REDDITA Claſſis erat, Fortunæqu
Iuſula vanam
Execrata Deam, melius jam Numer
habebat.
Protinùs abſceſſum feſto canit or
Columbus.
Litora deſeruere: fretum quâ parte ſecarent
Doctus erat nemo, tamen omnibus India votis
Una petebatur, cum neſciretur an eſſet.
Heu rerum ignaræ mentes! quam longa, graviſque
Humano generi caligo in ſæcula fluxit!
Vulgatæ facilis metuas accedere famæ:
Fallitur, & fallit, delictaque credulitatis
Excuſat, ſed non abſolvit publicus error.
Illa via Oceani priùs in via, credita ſolis
Imbribus, & nebulis, habitataque noctibus, ecce
Raditur Hiſpanis, inventaque nabilis, auræ
Et veli patiens, maribuſque ſimillima noſtris.
Quin ſimul ac patuere rates, viſæque ſub undis
Umbræ Hominum primæ, Nymphæ Oceanitide
actæ
Confeſtim novitate, globatim ad candida nabant
Lina, videre viros cupidæ, cupidæque videri.
Attamen & virides non ante cubilibus udis

Exar-

Exeruere comas, vitro quàm judice comptæ,
Tempora coraliis ornarent cærula rubris,
Et pulchræ fierent, ea quantum forma ſinebat.
Ire natatrices tranquilla per æquora lætus
Aſpicit Hiſpanus, pulchraſque nec adſtupet eſſe,
Cum ſciat è pelago matrem veniſſe Decoris.
Tum Vaſcus: quoniam blandis affatibus oris
Non minus apta quies ponti, quàm dulce ſonanti
Nox ſit amica lyræ, faveantque ſilentia chordis;
Dic age, ſi quid habes variis è caſibus Heros,
Grande, cothurnatumque aliquid, quod & impleat aures,
Et Virtus quo poſſit ali; quod & inter eundum,
Non intellectâ curſum dulcedine fallat.
Talis ad Argoæ numerum ratis ibat & Orpheus
Aſſecla Principibus non indignandus Achivis;
Quantumvis citharœdus erat, non ille Leonis
Aſper ab exuviis, tunicâ nec tectus ahenâ,
Voce tamen miles, belli fomenta canebat,
Et ſæpè in pugnâ pluſquàm Meleager, & Idmon,
Caſtor, & Amphidamas, citharâ pugnaverat Orpheus.
Ductor ad hæc: veſtris rem poſcitis auribus æquam,
O ſocii, ferri quos otia vellicat inter
Laudis amor; ſenſus etenim cum nobilis intrat
Fabula, cantatuſque animis illabitur Heros,
Non auditorem patitur dormire: neceſſe eſt
Verba inter fremat, & claros ſuſpiret ad actus.
Bella ſed ad fortes ut digna loquamur Iberos,
Non niſi de faſtis, caſtriſque petantur Iberis.
Materiam Granata dabit: ſub mœnibus illis
Quid, Duce me, geſtum pelago Mauruſia contrà
Agmina, quæ tulerim victricis præmia dextræ,
Commemorare juvat; neque enim mihi gloria, bellum

Tam geſſiſſe fuit, quàm ſit narrare voluptas.
Evoluebatur ſeptingenteſima meſſis,
Ex quo trita jugo paulatim Hiſpania Mauro,
Tollere cervicem jam cœperat, atque pudorem
Nigrantis Domini regali tergere fronte.
Una ſub indecori Granata tyrannide tantùm
Serva tenebatur: populator & horridus ille
Corporis immenſi Coluber, qui motus arenis
Adverſæ Lybies Abylam trajecerat, omneſque
Heſperiæ amplexus ſquammis immanibus Urbes,
Hos intà muros ſe ſe collegerat Urbis,
Et mutilus terrebat adhuc. Sed contigit illo
Tempore, placandis monſtris non degener ultor,
Nec minor Alcides; Caſtellæ Rector, & unà
Ferdinandus Aragoniæ tùm ſceptra tenebat,
Non ante Hiſpanum juratus ponere ferrum,
Quàm ſuper oppoſitam Calpen, mirantibus Afris
Eminùs, exciſi ſpolium ſuſpenderet Hydri.
Ergo manum cupidus ſupremam imponere bello,
Bandelem Nomadum Regem cum milite trunco
Nequicquam latebras Granatæ turribus altis
Quærentem, mortiſque moras, indagine valli
Clauſerat: ablatoque elementis omnibus uſu
Terrarum, undarumque, reliquerat aëra ſolùm,
Nè poſſet ſperare, tuas niſi, Dædale, pennas.
Fama ſed in majus grandeſcere ſueta, canebat
Venturam auxilio Lybiam; ſectumque bipenni
Atlantem, pelago cæſam demittere frontem:
Mille rates jam ſtare, Duces, atque agmina mille,
Troglodytas, Pſyllos, Gætulos, & Garamantas,
Membraque tot diſſepta locis, & ſparſa, ſub uno
In corpus coiiſſe viro, Procerumque, Ducumque
Alimorum apicem, tantique Agamemnona belli.

Ore.

Ore, habitu, ritu, linguis, patriâque, Diiſque
Diſcordare omnes, mentem tamen omnibus unam,
Granatam Regnorum Helenam defendere raptu.
E Tingitani jamdudum litoris orâ
Erupturam hyemem vigili præſenſerat aure
Iſabella ſagax, omnis cui tradita cura
Imperitare mari, ſummum rata dedecus, umbram
Ignavam foviſſe domi, bellante Marito.
Hanc penès ad Malacæ portum tùm claſſis Iberæ
Stabat onus, Regina vices ibi Regis agebat.
Quæ ſimul adventum properantis obaudiit Afri,
Me vocat ( hoſpes ibi nam tunc ego fortè morabar )
Mox ita: Regalem tentaſti ſæpiùs aurem,
Non humilis cauſæ Orator, dùm nautica Nobis
Armamenta petis, quibus æquor arare repoſtum
Fidis, & obſtructos aperire Nepotibus Indos:
Votum grande quidem, num ſit laudabile, teſtis
Tu tibi; non ne omnes Europæ conſulis Urbes,
Sollicitas Ligures, nec inexplorata relinquis
Bellica Luſiaci Regis navalia, nec Te
Pœnituit Batavos, & prætentare Britannos?
Dic tua quid valuit facundia? non niſi tecum
Attuleras quæ vota, refers, omnique recedis
Non exauditus, vel non auditus ab aulâ.
Aſt ego, damnatam cunctis non improbo cauſam;
Quin placet hoc ipſum, quod tot poſt Ipſe repulſas
Indejectus ades, votumque tenacius urges:
Adde, quod oranti ut faveam, mihi calcar id ipſum eſt,
Quod nemo indulſit. Diſcat, quæ venerit ætas,
Non petere Hiſpanos ſi quid ſapienter agendum eſt;
Hîs conſulta peti: facilem ſuadentia curſum
Nabilis Oceani rationum pondera mecum

Sæpius expendi, nec terreor, ardua factu
Quamvis eſſe rear: fieri quis poſſe putaſſet,
Ut trabe Peliacâ primùm mare finderet Argo?
Græcia tunc ſolùm palmas utraſque tetendit
Typhis in amplexus, & in æthera tranſtulit Argo,
Factum ubi conſpexit, fieri quod poſſe negabat.
Pluſquam credat poſſe, poteſt homo, nullaque penè
Digna coli, niſi viſa prius temeraria virtus.
Quare age, propoſitis audacibus adjice mentem
Et jactata diu tua penè, & naufraga vota
Portum intraſſe puta: claſſem, quam poſcis, habebis.
Ante ſed obſcuris maribus quàm prælia portes,
Dux noſtro prolude mari, qualiſque futurus
A' Lybicis Indos jam nunc ordire triumphos.
Non tua ſeductus Mundi premet Angulus acta;
Europæ, & Lybies in Te defigier unum
Crede oculos. Eſto neget hìc ſua ſaxa Pyrene.
Pro ſcopulis, in quos metuant impingere fœdi
Æthiopes, mea claſſis erit; nec & iſta paranda eſt,
Trabs in procinctu, nauclerus, ahenea, miles,
Ni deſint animi, ſunt omnia: neve meorum
Laudatrix præſeos deſiderer, omnibus ante
Stabo, per hoc pectus Mauro via ſola patebit
Ad vallum, quo noſter habet tentoria Conjux.
  Hæc ubi dicta, calor fervens ſub pectore formæ
Tinxit ebur, nivibuſque dedit brevis ira decorem.
Sic quæ torpet iners, agitata reſumere vires
Flamma repente ſolet, radios injuria prodit.
Quis mihi tunc ſenſus fuerit, vos dicite teſtes
Votorum Comites, arcanorumque meorum,
Ora pudore ſolo tenui defixa parumper,
Attonitoque diu tandem vox excidit: O quam
Te memorem! Divam ne, an de mortalibus unam?

Mor-

Mortalem dicam; ſed ob id tua grandia creſcunt
Acta magis, quòd, cum mereant cœleſtia credi,
Sint humana tamen, Divinaque dotibus æquent.
Et quas pollicitâ pro claſſe rependere grates
Fas erit? hoc noſtræ non eſt opis: India reddet.
Te maris in conchis, te cortice ſcribet in omni
Arboris, inque ſuis quæret cælare metallis:
Nunc tibi Junonis, Veneris nunc aſſeret ora,
Nunc venatricis Triviæ, nunc indole torvæ
Palladis aptabit crudum thoraca, tuique
Expertem decoris nullam ſinet eſſe Dearum.
Mox ut regali Te prole beaverit Æther,
Picta per occiduas ibis Berecynthia terras,
Alta rotis, Reges & circumplexa nepotes,
Omnes Semideos, omnes in Nerea dignos,
Seu Jovis in vultum deſcendere, ſive Gradivi;
Neu ſimiles abſint cultus, ad fræna Leones,
Quos gerit illa, geres, & habebis tu quoque turres.
Interea paribus ſtudiis certemus oportet:
Gignere tu Reges, ego Regibus addere regna.
Ante ſed in Mauros fidei tentamina noſtræ
Quandoquidem præſtare jubes, nil demoror. Adſum
Miles ubique tuus: terrâ experiare, marique;
Ardua non metuo, non infima temno, tuiſque
Omnis ab imperiis noſtris venit ambitus armis.
Unum oro, belli nè Te, Regina, periclis
Inſere: celſa ſede Malacæ pro litore; pugnam
Nam Tibi quæ narrent, Gætula cadavera mittam.
Hæc ubi fatus eram, me portubus imperat altis
Ferre gradus, ubi navalis ſervabat Enyo
Arbitrio volucrum mutanda palatia Fratrum,
Sylvani quondum populum, viridemque Senatum.
Ut ven , ut vidi, fateor mihi cognita nunquam

Tempus ad id claſſis tam pulchro compta paratu,
Totque referta viris, de navibus omnis ut illis,
Jam tunc, quanta foret, dignoſci Hiſpania poſſet.
Scilicet hùc lectus Procerum convenerat ordo,
Turpibus imperiis quicunque tyrannidis Afræ
Colla indignantes dare libera, ſaxea ſuprà
Caſtella Aragonum, caligantemque Pyrenen,
Finitimi Cœlo tutos habuere receptus:
Nec ſibi montani Reges vertere pudori
Rus colere, agreſtem poſito diademate falcem
Sumere, cæſariemque hirſutæ pectere ſylvæ:
Læſaque Majeſtas nihil eſt à paupere panno,
Auguſto ex oculis interlucente colono.
Hìc agiles lintres jaculatriceſque triremes
Cernere pompa fuit, quas miſerat Inſula duplex
Major, & inde minor balearibus inclyta fundis,
A' teneris gens docta rotare per aëra ſaxum:
Monſtratam genitrice puer non accipit eſcam,
Ni feriat, dextræque rudi gula fecerit artem.
Montibus à patriis ſimul hùc adduxerat alnos
Aſtur, & in velis latè crepitantibus auro
Clarum inſigne loci cælaverat Aſturconem:
Corporis ille quidem minimi, ſed maximus idem
Mobilitate pedum, nullo quem ſordida tactu
Armentalis equi, Zephyro ſed plena Marito
Concepit genitrix, nec originis immemor ille
Pictus amat curſus, & concipit æquore Patrem.
Si numerare velim diſcrimina navigiorum;
Ante quis expediet, Cleopatra quot auſa Liburnis
Gurgite Leucadio fatum committere Mundi:
Dicet & Adriaci maris ad ſponſalia qualis,
Quantaque de velis cadit umbra canalibus altis
Pronuba Neptuni tunc cùm Reſpublica Virgo,

Argoo

Argoo ſcandit certantem ſydere pinum,
Rubraque divitiis, comitataque mille carinis
Occurrit pelago; nec frigidus audit ab imis
Sponſam ſponſus aquis; procedere quin parat ultrò,
Cum Nymphis, fluviiſque ſequacibus, & glaucis Diis,
Expectans avidè, lapſus per ſerica fila
Quando maritalis demittitur annulus undis,
Conjugis à manibus; feſtinus ut ipſe reponat
Illius in devtrâ, ſceptrum regale, Tridentem.
Quarta dies aderat, ſumno cum mane videmus
Litus ad Heſperium vaſtâ ſe mole moventem
Marmaridum Claſſem: potuit ſub luce malignâ
Credi Abyla exoſa Oceani divortia longa
Velle iterum abruptæ ſociare Ceraunia Calpi
Protinus audendi calor incidit: omnibus altæ
Surrexere comæ, totâque repente coortus,
Hoſtis, adeſt hoſtis, diſcurrit in Urbe tumultus.
Iſabella virilem animum ſi præſtitit unquam,
Tunc fuit; in famulas ardentia lumina vertens,
Arma citæ, ferte arma: dies meus hic, meus, inquit,
Longè optabilior, quàm qui mihi lampade luxit,
Ad thalamos, Fernande tuos, cùm duceret Hymen.
Poſcenti clypeum, gemmatum protinus orbem
Obtulit Harpalyce, dederatque Philandria tegmen
Pectoris, inque manu Lampedo locaverat haſtam.
Hactenus ad comptus armandi corporis uti
Cenſuit ancillis: ſibi cætera ſufficit arma,
Quorum fabra fuit melior natura Cyclope:
Fronte ſupercilium grave collocat, afflat & ignem
Luminibus, tonitruque ſonorem vocibus addit.
Tunc his auſa Viros hortari Fœmina dictis:
Sors fateor præclara, Viri, cui lucis in ipſo
Contigit exortu vagitus edere primos

Inter

Inter opes dominæ, quam non intelligit, aulæ,
Aſt ego vile puto, de me ſi prædicet Orbis
Nil, niſi Reginam; titulus communis inerti
Regius eſſe poteſt; tantis ſuperaddere majus
Quid juvat acceptis, quod poſſim dicere: noſtrum eſt.
Nec mihi, nec vobis occaſio pulchrior unquam
Venerit audendi: toto cum robore Cancri
Pulſus ab Heſperiâ redit ecce ferocior Afer.
Quid paret in promptu eſt; Granatam cogitat, illâ
Stante nihil demptum putat hactenus, omnia Regna
Hac ſibi ſervatâ penſari credit in Urbe.
Servet ut hanc, jactura levis Babylona videtur
Et Pharon, & Memphim, totumque impendere Nilum.
Hac mihi Granatam videor de puppe videre
Attollentem oculos, implorantemque paratas
Pulchra in bella manus, & dicere: fertis, Iberi,
Reddita cùm ſibi ſit jam tota Hiſpania, fertis
Urbibus è tantis, ut ſolum Maurica dicar!
Tempus ad hoc ignominiam, faſtumque ſuperbi
Æthiopis ſim paſſa licet ſolatia fati
Servitium commune dabat; modò Regna tot inter
Libera, ſola gravi tenear ſi compede, noſtro
Jam quoque libertas conſentit veſtra pudori.
Hoſtis in occurſum procedite, barbaricæque
Ingens annonæ ſubducite robur, opiſque
Indigeat qui ferre parat: non hæc mea juſſa
O' fortes animæ, veſtri ſed credite Regis.
Illum ego cornipedis ſublimia terga prementem
Deſuper intueor, ſpecioſum pulvere belli,
Vaſtantem ſegetes, pulſantemque arjete muros.
Nec tamen iraſcor, quin de me conqueror ipsâ,
Eſſe nimis fortem: cuperem caſtella deeſſent,
Et foſſæ, & turres, tardatus ut objice nullo

Legi-

Legitimus ſua jura daret Dominator in Urbe.
At quid ego in ſponte audaces hortatibus Utor?
Solvite vela citi, properate, impellite remos;
Conjux ante meus ſcandat quam mœnia victor,
Vincatur Granata mari. Vix talia fanti
Lucida flamma polo deſcendere viſa, levemque
Ducta ter in gyrum, galeæque innoxia criſtas
Lambere, venturi fauſtum certaminis omen.
Ocyter inde jubet laxare faventibus auris
Carbaſa, & in Lunæ ſpeciem procedere Claſſem.
Gonſalvo dextri lateris, mihi cura ſiniſtri
Mandatur, pugnæ medium Regina tenebat.
Illam turrigeræ radiantem puppe carinæ
Viſendi ſtudio certatim ad litora vulgus
Miſceri juvenumque, ſenumque: à turribus illam
Mirari, pueriſque ſuis oſtendere Matres,
Fœlix omen erat Dominæ præſentia viſæ,
Agnoſci facilis, ſolitoque ſerenior, & quæ
Præferret nil ſolliciti, nec euntis in hoſtem;
Hoſte ſed è domito vultum redeuntis haberet.
   Viderat adverſas tenſis accedere velis
Rex Arabum, Nomadumq; rates: nec inhorruit hoſte
Spectato, de more ſui memor, ultima cogens
Sanguinis auxilia. Erigitur magis aſper in iras,
Attollitque animos, lætus decurrere nullum
Momentum ſibi laudis iners, per & obvia bella
Eſſe iter ad bellum, ratus & quid pulchrius eſſe
Eminus à muris etiam defendere muros,
Unde animos meritò capiat, nec nomina deſunt:
Scit ſibi pugnaci quales in milite nerui,
Quique Duces, hos hæredes virtutis avitæ,
Annibalis geſtare animas, & Amilcare plenas.
Scit quoque cum Pyrrho ſe ferre in prælia, gnaras
Decer-

Decertare feras, niſi turritos Elephantos,
At bene munitâ Numidas in crate Leones,
Pſyllorumque angues, pejoraque toxica ferro.
Lunat & ipſe ſuas Dux non improvidus alnos:
Lævæ præficitur moderator & arbiter alæ
Cepheus, Antæus dextræ, ventoſus uterque
Jactator generis: putat hic, (ea gloria vano)
Terrigenæ luctatoris de ſanguine robur
Emanaſſe patrum, nec membra torique negabant
Credere degenerem forti de ſtirpe nepotem;
Stemmatis hinc fumo turgens in divite prorâ
Invictum cunctis, ſolo ſed ab Hercule victum
Pinxerat Antæum famamque pudore petebat.
Cepheus antiquæ Cœlum numeraret ut inter
Argumenta domûs, auratâ in puppe ferebat
Caſtellum Danaës, pluviamque, Jovemque docentem
A' pretio nullum non expugnabile vallum:
Perſeaque addiderat, nec non in rupe puellam
Litem inter magnæque ſpei, magnique timoris
Ancipitem, patulas fauces Piſtricis an intret,
An ne cubile equitis ſcandat ſervata volantis.
Hos inter medius, belli navalis habenas
Alimorus agit, cujus ſub jura merebant
Et Nomas, & Garamas, & qui Typhone coorto
Tecta videt Naſamon ſpoliata per aëra ferri.
Regem armis, opibuſque gravem validiſſima niſu
Prora vehit, cui nomen Atlas, tamque omnibus iſta
Navibus eſt Lybicis, quàm montibus altior Atlas.
Atlantis, modo factus Atlas, ſub mole fatiſcit
Pontus, & ambigeres nùm plus nocteſcit ab atris
Vultibus, expanſis an cornibus antennarum.
Ante tamen litui canerent quàm ſigna, ſuperbus
Talibus auditus turmas accendere dictis:

O' qui-

O' quibus æternæ de furto lampadis olim
Amplior in venas fluxit calor, ite Promethei
Maſcula progenies, oſtendite fortibus auſis
Æthereo vos igne ſatos: velut omnia vincit
Ignis & ad cinerem citò concremat, impete eodem
Corripite acceſſus prohibentem litoris hoſtem.
Itis in antiquos famulos, qui ſubdita quamvis
Colla jugo extulerint, ſervilia ſtigmata nunquam
Deformeſque cicatrices à corpore tergent:
In quos non armis, veluti lex bellica dictat,
Fuſtibus utendum: dominos à caſſide vultus
Promite Mancipiis, peraget præſentia bellum.
   Talia jactanti, jam noſter in ordine miles
Venerat ad teli jactum: tenuit mora nulla,
Nec licuit torvam ſpectare per otia pompam,
Prævius ad mortem, belli quâ comitur horror:
Quas criſpent vexilla feras, qui fulgor in armis,
Quique viris; velut in partes hinc inde vocati
Veniſſent venti, pro puppibus Africus Afris,
Staret ab Hiſpanis Zephyrus: percuſſus uti Sol
Ære renidenti vibraret in aëra lumen,
Inde repercuſſum majori fœnore lucis
In mare projiceret: pavidi Tritones, & Orcæ
Subter aquam tremerent ſimulacra natantia ferri.
Scilicet hinc illinc, magni ne gloria cœpti
Invidioſa foret, factis ſimul ignibus, ambæ
Intonuere acies: ſe quælibet ante dediſſe
Signa putat belli, bellum invenere ſecutum.
Fauſta quod Hiſpanis fuerint exordia pugnæ
Debuimus Zephyro: credas Aquilone peritis
Exarſiſſe alis, quod longè fortior Auſtro
Auſtrales contra populos, nigrantiaque ora
Torſit, agens retrò glomerata volumina fumi,

Deli-

Delituere Arabes tenebris, noſtriſque,ſuiſque.
Crediderim factum Cœlo auſpice, roſtra tot inter
Millia diſploſum longè jaculantia ferrum,
Quâ vehimur, laudum primas meruiſſe carinam.
Cernitis æs illud, cui ſtat cuſtodia puppis ?
( Æſque manu oſtendit ) navim percuſſit opimam
Nobilis Antæi, cum mercibus, & catephracti
Præſidio peditis, geſtantem in bella Leones,
Doctos arma pati, cuneos diducere, tergo
Inſtare, atque famem differre cadavere viſo.
Quadrupedum in cratem cecidit pila, clauſtra refregit,
Dèque tribus pecoris villoſi fratribus, ictus
Perculit eximiam flavâ cervice Leænam.
Ilicet exarſere Mares, veniſſe nec extra
Damna rati, ſuper effuſi tabulata, foroſque,
Invadunt Dominos; ſaltu pars æquor in altum
Præcipitat, mortemque petit formidine mortis:
Pars ſtringit gladios, oriturque domeſtica cædes
Civilis ſpeciem flictûs imitata, Leonum
Dente viri, gladiiſque virûm periere Leones.
Nobile par aderat juvenum, Roſmenus, & Idas,
Juncti ut erant animis, & erant ætatibus ambo,
Non minùs hic illi charus, quàm creditur olim
Euryalus Niſo, Pylades dilectus Oreſti.
Quærenti latebram, quâ ſe defenderet Idæ,
Ecce ferox quadrupes volucres ſuperinjicit ungues,
Atque humeri primum laniatâ parte ſiniſtri,
Ibat & in dextrum; caſu Roſmemus acerbo
Obriguit, veri nec diſſimulator amoris,
Grande operæ pretium ratus eſſe, ſibique decorum
Rebus in extremis animam præferre ſodalis,
Et non victuro momentum extendere vitæ,
Accelerat greſſus: in terga repente Leonis

Inſilit, apprenditque comam, quantàque valet vi
Niſus, anhelantes rictus, immaniaque ora
In ſe reflectens, vetuit ne ſanguinis hydrops
Helluo, ſeminecem degraſſaretur in Idam.
Juſſus ab incœptâ rapror deſiſtere prædâ,
Et fraudare gulam, violentius aſperat armos:
Colla referre retrò, prenſoſque reſolvere crines
Bis conatus erat, bis ceſſerat irrita virtus;
Ut tandem excuſſit, tunc hoſte potitus aperto,
Roſmemum contrà nil tela inimica timentem
Irruit: ille mori fixus, ne cedat inultus,
Dum ferus approperat, fauciſque recludit hiatum,
Rictibus expanſis dextram inſerit, èque reciſam
Cum rabie linguam radicibus eruit imis,
Lyſimachi famâ non inferiore canendus.
Non revocare manum licuit, Leo dentibus omnem
Abſtulit, inde caput: linguamque, caputque revulſum
Hauſtu mox uno rabidam demittit in alvum.
Quod ſimul ac oculis languentibus aſpicit Idas,
Immemor ipſe ſui, caſum miſeratus amantis,
Semilacer quamvis, non hæc mihi tempora, dixit,
Quæ dònas, ſint pauca licet, chariſſime, perdam;
Vindictæ ſacrabo tuæ: prior ipſe perire
Non merui, gaudebo ſequi. Nec verba profatus
Plura, recedentis fragmenta noviſſima vitæ
Colligit in dextrâ, gladium quæ forte tenebat.
Dextra quidem tremula eſt, gladio vix apta regendo;
Ut tamen & regeret, ferrumque in corde Leonis
Altiùs imprimeret, præſens tùm forte, ſuaſque
Ipſe manus admovit Amor, qui fortiter enſem
Impulit, atque ictu duo funera vindicat uno.
Africa dente minùs poſthàc mordebere Famæ,
Si poſt ſævitiæ, monſtra hæc narrentur amoris.

Diſpu-

Diſpulerant auræ congeſti nubila fumi,
Verti oculos; dedit Antæi ſe clara videndam
Carbaſus, & quantum licuit deprendere longè,
Eſſe ibi plena metu, miſcerique omnia ſenſi:
Nil moror, atque hoſtis ſubeundi cominùs horam
Hanc ratus, à tergo Zephyri ſpiratibus uſus,
Illùc præcipitem valido cum robore movi
A' ſtatione ratem; via neù fugientibus eſſet,
Sed velut in ſolido decertaretur utrinque,
Injeci pedicas, calcar navale carinæ.
Fit ſonus, illa altè roſtrato dente recepto,
Hæſit non aliter, quàm compede tenta; ſed unà
Nos quoque connexi, preſſique cohæſimus illis.
Accurrunt Mauri, nos infrà, deſuper illi.
Certatur: flammas illi, vaſtoſque molares
Dejicere; elatis nos contrà obnitier haſtis,
Inſtare & ſclopis, nè Maurica brachia ferrum
Subjectas in cervices impune rotarent.
Altior hoſtis erat: quò pugna veniret ad æquum,
Curvari antennam jubeo, mox ſeſſor in illâ
Libror, ceu gradientis equi moderarer habenas.
Tres auſi comitum Dias, Rodericus, & Argus
Aërii mecum tentare pericula pontis.
Jamque ſedebamus prælongo in ſtipite nexi
Corporibus, tecti galeâ caput, ægide pectus;
Cum juvenum validis conatibus, atque rudentum
Orbe volubilium tranſversâ ex parte levati
Cœpimus in ſublime rapi, faſtigia donec
Elati ſuper alta, infrà deſpeximus Afros.
Tunc inteſtinæ ſtragis ſpectacula fœda
Noſſe datum, cæſos homines, cæſoſque viciſſim,
Atque humana ſuper recubantes terga Leones,
Exanimes quamvis, ab hiulco gutture crudas

Ructan-

Ructantes epulas, indigeſtumque cruorem.
Noſtra ratem ſuprà cecidit vix umbra Lybiſſam;
Mauri oculos pavidi tollunt, quot in aëre ſpectant
Pugnaces equitare viros, tot ab æthere lapſos,
Vultibus humanis credunt deſcendere Divos,
Non adeò tamen horreſcunt ut mittere contrà
Aërios equites deſiſtant ſpicula, nobis
Parma favet, viſumque animam ſatis eſſe tueri.
Dumque ita provehimur, nos ecce antenna curulis
Deprimit, unanimeſque inimicam effundit in alnum.
Pergameo prodivit equo non impete tanto,
Bello Grajugenûm virtus irata decenni,
Quanto nos agimur: pauci licèt, agminis inſtar
Prælia conſerimus, favit Fortuna; quòd illo
Tempore confertis clypeis imitantibus aptas
Parietibus ſcalas, jam conſcendebat Iberus,
Præcipiente tubâ, Lybicæ latera ardua puppis.
Æthiopes trepidos ſimul interiore, ſimulque
Exteriore malo aggredimur: manus iſta quot Orco
Miſerit extemplo, Lybicamque coëgerit Afros
Cum Stygiâ mutare ratem, quàm dicere nobis,
Tam vobis audire labor. Sed digna relatu
Res fuit, atroci poſt tot data corpora letho,
Exhauſtas lateri vires creviſſe, meamque
Mirabar plus poſſe manum: patefecerat enſis
Jam mihi fidus iter per ſtrata cadavera, ut illuc
Poſſem ferre gradum, quò ſe ſe in pinea dudùm
Tranſtra laborabat ſaltu transmittere miles.
Dum propero laturus opem, ſibi cuncta perire
Et videt Antæus, preſſo ſub corde furore,
Fixus at ulciſci, vafro me callidus aſtu
Decipit, è vultù faſtum deponit, & inſtar
Supplicis; iraſci ulteriùs jam deſine Victor,

Dixit,habes puppim,Dominum quoque puppis habeto
Captivum: fatur vix hæc, & projicit enſem
Ante pedes, qnibus acclinis velut oſcula ferret,
Dum quoque mentitur, citus adſilit, & manibus me
Grandibus amplexans, ſuper aëra tollit; & indè
Vociferans, ſolus delago luctabere, clamat,
Perfide, non aliter noſtrâ potiere carinâ.
His dictis, Me, Seque ſimul dejecit in undas.
Decidimus juncti ,juncti ſimul æquor in altum
Deferimur, tactuque pedum turbamus arenam.
Ipſe quidem fateor, quo tempore ſubdolus ille
In mea conjecit ſua brachia, forcipe tanquàm
Arreptus Siculâ, preſſuſque à monte videbat
Portentoſi hominis ſub mole; ruina ſed ipſa
Profuit, adſtrictos à me removere lacertos
Ut poſſem: jam liber eram, nec dextera multis
Incaſsùm tentata modis dimiſerat enſem.
Ergo undas velut à teneris perferre natator
Aſſueram docilis, primæ non immemor artis,
Remigio manuumque,pedumque excludor in auras,
Attolloque enſem,quæroque: Antæus ubi nam?
Nullus erat: volui rurſum deſcendere ad ima,
Atque illic hominis perjuri expoſcere pœnam.
Dum dubito, ejectus fundo ſe ſe ille videndum
Dat mihi, combibitos removebat gutture fluctus.
Exclamo: virtute Tibi, non fraude petenda eſt
Noſtra ſalus,decet athletas hæc area ſolos;
Si Luctator eras, ſolidâ decernere rantùm
Debueras tellure, mari non credere plantas.
Dum loquor, ecce iterum labi, ferrique deorſum
Sensìm membra ſuo depreſſa à pondere ſpecto.
Colla ſuperſtabant, illuc violentiùs enſem
Exigo; de gemino trajectum guttur hiatu

Expu-

Expulit indignantem animam, pelaguſque cruentat,
Labitur in præceps, ſolitoque voracior hauſit
Unda ſaginandis Balænis grande cadaver.
Ipſe manu findens fluctus, aliâque mucronem
Suſtentans, repeto comites, Lybycæque potitos
Jam ratis invenio; conferre ingentia parvis
Si licet, haud alio plauſu me turba meorum
Accepit reducem, quàm quo fuit integer olim
Redditus ad ſocios Cæſar, cum dextra volumen
Ferret, læva ſecaret aquas, & ſæcla timerent,
Naufraga nè Martis, nè gloria Palladis eſſet.
Non minùs hæc inter, largus virtutis iberæ
Et Ducis, & partes animoſi militis idem,
Cephea magnanimum contrà, Gonſalvus obibat.
Utraque jam navis conſumptis eminùs armis
Venerat ad capulum, ſic remex remige, roſtrum
Sic roſtro, prorâ ſic prora coiverat, ut Mars
Æquoreus, pugnæ faciem terreſtris haberet.
Cepheus è puppi Gonſalvum in puppe furentem
Tùnc his increpitat: Tu' Me conſiſtere contrà?
Tu ne lutum? gentilitiæ pictura carinæ
Nec ferit ignavos oculos? non admonet unum
Me de Semideis prognatum ſanguine magni
Perſeos? an dubitas, Mihi primus originis author
Juppiter extiterit? de fulmine noſce Nepotem.
Dixit, & intorquet Gonſalvi in pectora ferrum.
Ille probris motus, jam dudùm & ſaucius irâ,
Enſe enſem repulit, tantoque ardore recuſſit,
Fregerit ut medium: diffiſſi lamina trunci
Dum volat, adſtanti Phorbæ prope Cephea lumen
Eruit, & vitâ paritèr cum lumine nudat.
Inde ferox ſalit in puppim, juguloque trementis
Mucronem intendens; I nunc ad Tartara, dixit,

Plenus avis, & Plutoni narrare memento
Te conſanguineum magni Jovis, agnitus idem
Ægiochi de ſtirpe, merebere Fratris amorem.
Hæc ait, utque gravis caſtiget jurgia linguæ,
Vocis iter jugulum lethali confodit enſe.
Mox coacervatas venientûm ſubmovet alas,
Cædit & obſtantes: qualis triplicata videri
Lingua ſolet colubri, poſitâ cum pelle venenum
Aſperat ad Solem, criſtataque colla coruſcat;
Talis hic apparet, tantâque volubile ferrum
Dexteritate movet, triplices videatur ut enſes
Una rotare manus; deceptus fulgure Maurus
Vera putat, terrorque fidem trepidantibus addit.
Exemplo præeunte Ducis, tum cætera pubes,
Non ſecus ac captæ murum conſcenderet arcis,
Quâ de cumque ratem parte adſilit: emicat ille
Arduus in puppim, proram occupat alter: inundat
Miles tranſtra, foros. Bellona laborat in arcto,
Et ſparſæ ſibi rapta dolet ſpectacula cædis,
Preſſa Peremptorum celante cadavera turbâ.
Hanno fuit miles de plebe gregarius, at non
Pectore plebejus, qui nè Cepheia navis
Victoris fieret, nullius maluit eſſe.
Vindictæ genus aggreditur, quò perderet uno
Cuncta rogo, vitæ poſito ſi dulcis amore
Projiceret prior ipſe diem; jamque igne parato
Devotuſque Erebo, clauſi penetralia nitri
Ingreſſurus erat; præca utor mentis iniquæ
Didacus à tergo ſuper adſtitit: an tibi tantùm
Poſſe licere putas projectæ vernula frontis,
Clamat, ut Heroum tot pectora debita ferro
Nullo Marte velis obſcuro involvere letho?
Hìc male ſana tuo reſtingue incendia mentis
San-

Sanguine, mortaleſque doce, palmaris ad auſi
Tentamenta, viam facilem non ſternere Divos.
Dixerat, & fontem quo vulnere tollit, eodem
Victores ſimul incolumes, victoſque tuetur.
Clauſas inde fores vigilanti protegit enſe,
Nil non auſuris ne deſperatio proſit.
Senſit ubi Lybicæ numerum decreſcere turmæ
Gonſalvus, tùm magnanimos affatur Iberos:
Pone modum ferro miles, ſat ſanguinis hauſtum:
Maurica quæ reſtant, ſerventur colla catenis,
Dedecori vivant, tractâque à compede mortem
Se meruiſſe ſciant, & nos donaſſe ſalutem.
Hæc ait: Afrorumque aſſertâ principe pinu,
Inſequitur famæ mox cætera vela minoris.
Ultima navali finem impoſitura triumpho
Reſtabat Regina, diù quæ miſſile ferrum
Eminùs Atlantem contra jaculaverat; ecce
Unus jam tandem de tot fœlicior ignis
Incidit in malum, malique in vertice ſtantem
Tutelare ratis Numen percuſſit Anubim.
Ille cadit præceps, fatis velut eſſet in ipſis,
Marte puellari gens ut peritura videret
Ante perire Deum. Partes aperitur in ambas
Saucia trabs: tunc arborei moderaminis uſu
Amiſſo, nil antennæ, nil ſuppara proſunt;
Ipſa ſibi eſt oneri moles, & neſcia qualem
Se ferat in partem, motûs incerta vagatur.
Longiùs invalidam ſublato robore mali
Vidit ut Atlantem, ſuccenſa cupidine prædæ
Agmen Amazonidum, quo cingitur, Heſperiarum
Iſabella movet: velis properantibus itur;
Nec per iter peltata cohors emittere ab arcu
Spicula, & à ſclopis ardentia vulnera ceſſat.

Gentem ſolſtitii venientem ex igne pudebat
Igne peti, vincique dolens Atlantica pinus
Contra aſſultantes lethi genus omne volucris
Egerit,ignivomi ſeu quod venit ore metalli,
Sive quod è pharetris. Scopuloſa Ceraunia ſuprà
Non imbris tantum, nec grandinis horrifer alis,
Plumbeus, & crines pice nigrior aggerat Auſter.
At quia præſidio mali ſpoliata, nequibat
Moliri flexus, & circumducere gyros,
Hinc Mauritanæ jactis de mille ſagittis
Navis, ad Hiſpanum paucæ venere cruorem.
Cominùs ut ventum, prædæ propioris amore
Audax facta magis, Nymphis è fortibus una
Fortior, Atlanti ferratos injicit hamos;
Non ſecùs ac mirmillonem ſi rete ſecutor
Turpiter incluſum mediâ tenuiſſet arenâ.
Tunc novus exoritur magis aſper, atroxque Gradivus.
Non è longinquo velut ante, faceſque, pilæque,
Rem peragunt enſes: abiès coit abjete, roſtra
Confligunt roſtris, & tranſtris tranſtra premuntur.
Mutua tunc ſtrages utroque ex agmine, functos
Mors æquat, variant cædis diſcrimina mortem:
Hos ferrum, flammæque necant, mare devorat illos.
Alimorus ad id tempus cum nubila fumi
Omnia texiſſent longè, latèque putabat
Se bellare viris; tentantem ſcandere puppim
Verùm ubi Lampedo trajectu reppulit haſtæ,
Purpuream que animam vidit manare papillis,
Erubuit. maribuſque dolet plus poſſe puellas.
At quoque Reginam ex habitu cum noſcit, & unà
Adventare videt, fatum morientis alumnæ
Vindicet ut ferro, ſubriſit, & inquit: adeſto
Si potes hùc vindex; ſed quandò fœmina mollis
Et

Et genita ad calathos mentiris Amazona, Theſeum,
Ne dubita, invenies; dabimus, quem mortis honorem
Quæris ab hac dextrâ. Interea prolude marito,
Quem tibi ſub Manes, careas nè conjuge, mittam.
Vix ea fatus erat, Reginæ turbidus haſtam
Torſit, in hac unâ ratus omne abſolvere bellum.
Illa nihil ſtolidis conata reponere dictis,
Reſpondet clypeo, vanumque repercutit ictum.
Lamina ſeu fuerit perfecta rigens adamante,
Quæ percuſſa cavi radios ex orbe metalli
Reddidit, & lucem ferientis in ora remiſit;
Seu rabies, nimio quæ plus ſi ferveat æſtu
Cauta ſui plerumque parum eſt; ſimul haſta Tyranni
E manibus, ſimul ipſe ruit revolutus in undas.
Cantabrides tollunt animos, fremit Afra juventus.
Ex hac unus erat, melior quo nemo ſub undis
Tendere conatus animæ, per & aëra clauſum
Ferre moras, hauſtos & non admittere fluctus:
Armiger hic Regis, caſu qui motus acerbo,
In mare rapturus dominum ſe projicit, & jam
Dulce tenebat onus, magis at tenet ille levantem,
Et gravat amplexu; poterat pius armiger à ſe
Excuſſiſſe manus, ſuperaſque emergere in auras
Liber, & incolumis: puduit ſine Rege reverti.
Præcipuum occiderat Lybiæ caput Alimorus;
Non & pugna cadit. Pſyllorum Ductor Arisbas
Navis obit regimen, poſitaſque recalfacit iras.
Namque ubi nil contra Heſperidas ferrumque, facemque
Profeciſſe videt; nunc nunc recludite, dixit,
Marmaridæ Pſylli, plenas ſerpentibus arcas:
Viribus utendum, quas Patria commodat, & ſi
Omnibus è populis nobis tractare venenum

Eſt impune datum, colubri vertantur in arma.
Plura nec effatus, lethalia ſcrinia primus
Detegit, immergitque manum, implicitoſque ceraſtas
Arripit, Ammodyten, Baſiliſcon, Dipſada, Cenchrin.
Ut videre diem viventia crimina terræ
Altiùs attollunt criſtas; fera ſibila Proteus
Audit, & attonitum caput exerit, & nova monſtra
Miratur, confertque ſuis, vincique fatetur.
Regis ab exemplo Pſyllorum cætera turba
Juſſa facit, ſpoliantque cados, animaſque trilingues
Accipiunt, jaciuntque, adduntque procacia dicta.
Non pudet egreſſas de gymnade mollis Arachnes,
More palæſtritæ famam ſperare lacerto?
Ite, vocat ſpeculum, curas huic vertite veſtras,
Major & ut comptûs veniat novitate venuſtas,
Africa quos vendit, collo ſuſpendite torques.
Inter verba, ratem ſuper ecce colubrifer imber
Decidit: invictas ferro paulò ante puellas
Frons nova bellandi, lethumque ignobile terret.
Quòdque magis ſtupeas, mediis in fluctibs, inter
Orcarum fauces, terræ timuere venena.
Attamen & perſtant, & eodem tempore pugnant
Extrà cum Mauris, & cum ſerpentibus intrà.
Harpalyce Nymphis è bellatricibus una
Jam pede magnanimo calcaverat aſpida, dumque
Niſibus Herculeis in dipſada vertitur, ecce
Reptilium de gente, volatilis ipſe ſagitta,
Ipſe ſagittator Jaculus venit, oraque mordet
Lethifer, inde fluens ſe ſe per candida colla
Implicat illaqueans: proh vis properata nocendi!
Pene recepta lues cordis penetraverat arcem,
Frigore concretis venis, immobile corpus
Stat vitâ fugiente tamen: ceu fulmine tactis

Vita

Vita deeſt, rectuſque ſolet conſiſtere truncus.
uvit prodigiale malum, viventis ut illa
Poſſet adhuc ſervare locum, nec cederet hoſti,
Tanquam aliâ peteret ſternendum morte cadaver.
Iſabella ſupremum animæ ſubitura periclum
Forſan erat, ſed vitaï ceu quando laborat
Regia, ſpiritibus tunc omni ex parte coactis
Cordis in auxilium concurritur: haud ſecùs omnes
Intentæ Afrorum cladi diverſa per alta
Auxiliatrices Dominæ venere carinæ.
Forte ſupervenio, cum lætabundus Arisbas
Reginam intuitus, tot de ſerpentibus unum
Arripit, ante tamen jaceret quam miſſile monſtrum;
Ingere, ait, Te navali velut altera pugnæ
Degener ò Cleopatra; feras ut nobile lethum
Ambitione pari, ſelectum mittimus anguem.
Vix ea dicta dedit, regalia vibrat in ora
Armatam geminis cervicibus Amphiſibænam;
Feciſſetque nefas, niſi fida Philandria cuſtos
Auguſti lateris, citò corporis interjectu
Colla recepiſſet jaculata biverticis anguis.
Quam ſimul ac coluber tetigit (mirabile viſu!)
E' Pſyllis unam veluti cognoſceret eſſe,
Abſtinet à morſu, viruſque exire paratum
Devorat introrſum: quin conterranea membra
Lambit amans, ſquammas in ſpiras colligit, iiſque
Molliter innexis, tanquam complexibus, ambit,
Blandaque tergeminas impendit in oſcula linguas.
Talibus oſtentis ſtupefactus, & inſuper armis
Territus Hiſpanis, circumfuſuſque carinis
Præſidio accitis dominæ, conclamat Arisbas;
Ponite tela manu Pſylli, deſiſtite Iberi
Ulterius ſævire odiis: victoria veſtra eſt,

Acci-

Accipite Atlantem, cumque illo, & divite prædâ,
Me quoque captivum; Verùm ſi gratia victum
Ulla decet, precibuſque locus reperitur in armis,
Deprecor hoc, Nymphamque tuens; ò gloria Martis
Subdidit, & ſata Marte etiam digniſſima credi,
Quale tuum nomen? quodnam Matriſque, Patriſque
Præcipuè doceas patriis quibus edita terris:
Nam tractare tibi ſi fas impune chelydros,
Non eſt cur dubitem noſtrâ te gente creatam.
Adde, quod in vultu, quò plus mea lumina ſolers
Figo tuo, tantò mihi plus quoque ſentio fibris
Serpere neſcio quem teneræ pietatis amorem,
Qui memorem amiſſæ prolis jubet eſſe parentem.
Reddidit illa ferox. quoniam Tibi providus ipſi,
Mavis luce frui, quàm ferri extrema ſubire,
Dignus es & veniâ, quòd ab hoſte rogaveris ultrò;
Fraudare haud renuam tua vota, Philandria noſtrum
Si neſcis nomen, Mater Nilenis, Arisbas
Dictus erat Genitor, Pſyllorum patria tellus:
Hanc ego deſerui, ſuccenſa cupidine claræ
Reginæ, quam cernis, huic ego milito, in unâ
Glorior hac reperire datos à ſorte parentes.
Plura locuturam Genitor vetat; ò mea, dixit,
Nata, ſimul terris, ſimul & quæſita per undas,
Hìc ego te tandem dilecta Philandria! Vivis!
Vivis, & eſſe meam quamvis te ſigna negarent
Extima, patris amor verax deprenderet eſſe.
Ex inopinato Fortuna miſerrima, lucrum
Quale tulit! Rex in ſervum quo tempore migro,
In patrem redeo: mala tu præſentia lenis,
Tu ratis, & Regni, tu libertatis ademptæ
Jacturam ſentire vetas: Te ſoſpite poſthac
Nulla mora eſt, nullusque pudor dediſcere Regem.

Et

Et mihi, Reginæ, cui tu famularis, Iberæ,
Non modo non miſerum, ſed erit ſervire decorum.
Quare age prima precor ( ſinat hoc modo maxima
Ductrix )
Scande ratem, poſitoque animo victricis, amorem
Diſce pati, miſerum neù dedignare parentem.
Nam mihi, quod Pſylli norunt, eſt nomen Arisbas,
Uxorique meæ Nilenis, deque duabus
Edita tu nobis, quo tempore germinat annus:
Et niſi decipior, nondum tibi luſtra peracta
Quatuor enumeras, annuſque vigeſimus inſtat.
Talia dicentem jam dudum lumine fixo
Virgo tuebatur, verba audit conſona factis,
Claraque ſigna videt verum teſtantia Patrem,
Os, habitum, vocem, ſed ſi nec ſigna videret,
Credere ſuaderet Natura potentior illis.
Jamque monebat amor, cita ferret ut oſcula Patri,
Non tamen ante adiit, quamvis arderet adire,
Hiſpanâ quàm vexillum de puppe revulſum
Arriperet manibus, per & arma ſubinde viroſque
Illud idem geſtans inimicâ in puppe locaret.
Quod ſimul ac fixit, ſimul & bellum omne peractum
Senſit in hac captâ tantummodo nave, vacare
Et Patris & Natæ tum poſſe putavit amori.
Hunc habuit tandem laurus Neptunia finem.
Belli tempeſtas in quas jactaverit oras
Æthiopis fluitantis opes, implerit ut omnes
Utriuſque maris portus, ut clade marinâ
Eminùs auditâ Granata recluſerit Urbis
Oſtia Fernando, cumque illâ Hiſpania tota
Libera tunc primùm libaverit oſcula Regi,
Dicere longa mora eſt. Victoris munere factum eſt,
Ultimus ut Latro Afrorum, turpiſque Tyrannus

Ban-

Bandeles, penitus tellure fugatus Iberâ,
Poſſet ad arentis Lybiæ deſerta reverti,
Non alio vultu, quàm quo ferus Annibal olim
Ceſſerat Ialiâ: reducem Carhago vocabat,
In quam vela licèt properanter, & arma citaret,
Arua frequens oculus tamen ad Campana redibat.
Promiſſi Regina dati non immemor, oris
Reddimur ut Malacæ incolumes, multoſque ſubinde
Ut tenuere dies feſtæ ſolemnia pugnæ,
Me vocat, & numero ratium, quas cernitis, ornat.
Dulce quidem belli pretium, non denego, teſtem
Ferre operum, ſupràque ſuum dormire triumphum.
Obtentæ claſſis poſt grandia dona, dabatur
An ne quid acceptis majus ſperare? repertum eſt,
Vos merui comites: & ſi modo fata ſecundent
Dextera, ſpero etiam quantocyùs, & quoque mecum
Uſuros vos fine viæ, fructuque laborum.
His ubi Dux ſocios narratibus erigit, idem
Actor, & Hiſtoricus, gliſcente cupidine laudis
Intra corda, viri caluere: caleſcere viſæ
Undæque, Zephyrique, rateſque citatiùs ire.

# LIBER VI.

LUNA bis argento vacuum reparaverat orbem,
Ex quo Canariæ digreſſus litore, claſſem
Moverat Auſonius Typhis; ſed mane recenti
Umber oliferi ceu Tiburis avia luſtrans
Quemlibet ad motum colubræ, fruticiſque tremorem,
Suſpendit plantas, & acutas arrigit aures,
Et modo lacteolæ putat os elidere ceruæ,
Interdum leporis, quem non videt: allatrat umbram,
Deceptus toties inſtat, nec turpe videtur
Falli iterum, voti compos ſi denique fiat.
Talis hic, Heſperidum campos ingreſſus aquarum,
Terrarum venator erat: modo puppis ab alto
Vertice, ſpectator refluentibus exigit undis,
Quò maria inclinent, terræque ferantur amore;
Nunc & ab occaſu venientem conſulit auram,
Quid ferat, an ne aliquem regelato frigore montem
Spondeat, aut hortis flantem præſignet odorem.
Ex intervallo ah! quoties concreſcere viſis
Inſulæ in effigiem nebulis, aut alpis apricæ,
Credita terra fuit, nec tellus ulla reperta eſt.

Ah! quoties volucres ad candida vela volantes
Spem nemoris quo nidificant, fecere propinqui;
Nec nemus inventum, nec viſus in arbore nidus.
Aridus aſſiduis cum febribus æſtuat æger,
Qualemcumque cavo meminit de pumice labi,
Seu cuſtodiri ſecretæ Najados urnâ,
Hanc animo prælibat aquam; nunc illius audit
Murmur, & auditæ ſub corde ſuſurrat imago:
Illius interdùm quaſi frigus amabile captet,
Guſtatos quondam labris examinat hauſtus:
Quod bibere optat, abeſt, momentoque ebibit omni
Talis & ille novæ telluris amoribus ardet.
Indefinitum pelagus diffunditur infrà,
Surſùm ingens Cœlum, cujus dum ſingula luſtrat
Sydera ſub noctem, non ampliùs invenit Arcton:
Aſtra quidem ſpectat, ſed & hæc ſine nomine, nondùm
Cœperat ille etiam terrenæ matris alumnos
Purgare in ſtellas, fierique poëticus æther,
Factus ut inde fuit; Nam poſtquàm novimus Indos,
In ſenis Heſperii dorſo nova ſarcina crevit,
Cum Grue Crux, Xiphias, Hydrus, Pavo, Indica
Phœnix.
Dumque peregrinæ legit advena lumina Zonæ,
Neſcio quâ præter ſolitum dulcedine lætus,
Sic ait: aſtrorum novitas, niſi fallimur, iſthæc
Dat terræ ſperare novæ commercia, Cœlum
Certè homini ſervit, nova ſunt ubi ſydera, fas eſt
Eſſe novos homines: non hæc ingloria lucis
Vivere pompa poteſt, patitur non otia Cœlum:
Nec minus hoc ſine honore foret, quàm laudis egena
Scena theatralis, ſi ſpectatore careret.
A noſtris non abſimiles ò ignibus ignes;
Quin pulchri fortaſſe magis, nutrimine roris

Quas

Quas alitis terras, quas luce fovetis, ad illas
Eſte duces: gratos & nos fore tempus in omne
Credite: ceù nobis facta eſt modo copia veſtri
Ætheris, & fiet vobis quoque copia noſtri.
Talia ſpe plenus dabat ore, fretumque ſecabat.
Non eadem tamen & ſociis conſtantia mentis,
Quæ Ductoris erat. toties ſpes irrita terræ,
Jam nullam ſperare dabat. Quid quòd prior ille
Dulcis amor novitatis (ut eſt plerumque repoſti
Vaſe diu natura liquoris) aceſcere cœpit.
Quìd quòd ab ærumnis, longique teredine cursûs
Jam fractis, terræ redeunt ſimulacra relictæ.
Europæ mitis facies non agnita pridèm
Cum fuerat poſſeſſa, movet ſublata dolorem.
Hunc proles, illum mœrens circumvolat uxor,
Hujus ad ora Tagus redit aureus, anteit illum
Bætis, & indigenæ ſpeciem proponit olivæ.
Quid tamen indoluiſſe juvat? Reprehendere quando
Fas tantùm miſeris, non emendare, peracta.
Maurica natalem ſic tantùm bellua ſylvam
Æſtimat, hoſtilis caveæ cùm rodere ferrum
Juſſa, videt torpere toros, muroque pudendi
Carceris arctari plantas, quibus Africa quondam
Viſa brevis: ſuper omne malum tunc pectus acerbat
Libertas experta ſemel; ſed parcitur iſti,
Quod laqueos non ſponte petit: ſors Peſſima damnat,
Qui tabulæ non turpe putat committere vitam,
Nil undas præter viſurus, & aëra nudum.
Flos Procerum melior tùm ſe ſe accuſat, & odit,
Atque has introrſum voces immurmurat, undis
Intendens oculos, animo translatus ad Urbes:
Hoc dederat natura feris habitabile Regnum,
Non Homini terris genito: quæ tanta phreneſis,

Vita odio ſit ut ipſa ſibi; mutare pericla
In votis habeat, quaſi vivere neſcia, ſi non
Pendeat in fluctu, timeatque carere timore?
Spes aliqua audaces agit in diſcrimina ſemper:
Nemo ſubire pericla cupivit, amore pericli.
Nos primi è cunctis mortalibus imus ad Indos,
Cùm tamen inter nos, an ſint, dubitetur & Indi.
Sint eſto, qualeſque ſibi per ſomnia viſos
Luxuriare auro, gemmiſque effulgere Ductor
Jactitat, hoſque auſus cordatæ vendere genti;
An vinci faciles? mores ſcio divitiarum:
Armorum excubias poſcunt, auroque tuendo
Nulla ſatis tuta eſt, niſi ſit tutela draconis.
Vincamus licèt Oceanum, veniamus & auri
Ad conclave ferax, nullos hìc eſſe putandum
Cuſtodes? gravior pelago nos terra manebit.
O' faciles dare pollicitis ingentibus aures,
Et Liguri præſtare fidem! promiſſa timeri
Debuerant, quò vaſta magis; ſed culpa pudore
Noſtra vacat; poterat cui non imponere mendax
Italus iſte Sinon, animæque bilinguis Ulyſſes,
Ludibrio Reges poſtquam traduxit Iberos?
Sed Reges gremio nunc Regnatricis in aulæ
Sceptra gerunt hilares, altâque in pace ſeneſcunt:
Nos humiles animæ, ſervum pecus, omne gregatim
Mittimur in fatum: nulli Natura noverca eſt;
Qualeſcunque homines ab origine Regibus æquat
Ortus ſorte pari, viles nos fecimus ipſi,
Qui nacti dominantem animam, totidemque elementi
Conſtantem, terræ Dominis devovimus ultrò:
Ac ſi habeant aliquid, dare quod poſt funera poſſint,
Qui ſibi nil poſſunt: plebejâ pyramis urnâ
Diſcolor eſſe poteſt, cineris color omnibus idem.

Hunc

Hunc non auſa palàm pubes Hiſpana dolorem
Egerere in queſtus, tegit, irritatque tegendo.
Alvarus audendi primus faber, indolis Afræ
Degener Hiſpanus, Columbo obliquus, & idem
Claſſis ut ad clavum tendat, quacunque paratus
Ire viâ, vel cæde Ducis putat eſſe petendum;
Turpe nefas, tamen occultat ſub pectore, tempus
Opperiens, facie quo primi urgente pericli,
Ad ſua jam pronos acciret vota ſodales.
Sic vapor in fulmen tunc cum maturuit intrà
Atræ uterum nubis, differt mugire, moræque
Sit licèt impatiens, ſibi parcit, & imperat ignis:
Nec, niſi terroris pompam præmiſerit Auſter,
Egreditur, Cœloque negat ſævire ſereno.
Non tamen in longum rabies dilata nocendi;
Nam Zephyri flamen, tenuit quod tempus ad illud,
Non interruptum, ſemperque fidele carinis,
Conſtitit extemplò, fraudataque vela reliquit.
Scilicet aſſidens piceato margine Lethes
Malacia exiliit, peſtis deterrima nautis,
Nullaque poſt Venerem damnoſior edita ponto.
Morte ſatam perhibent, vires habet illa Parentis;
Nam ſimul incubuit, maris humida membra moveri
Non ſinit, in ſpeciemque cadaveris omnia vertit.
Quæ ſummâ poſtquam pigrum caput extulit undâ,
Torpor habet Cœlum, torpor mare, torpida claſſis
Hæſit, ut ante fuit, nec citrà mora, nec ultrà eſt;
Nullæ artes, & malus iners, & inutile velum.
Fracta virûm virtus monſtri novitate, quibusque
Pugnandum cum pace foret, non invenit arma.
Quid faciant neſcire datur, mora temporis una
Creditur apta malo, ſed lux ubi tertia tandem
Tranſiit, & ſtagno puppes invenit eodem,

Non aliter, ſiccum quàm ſi navale tenerent;
Tunc verſa in rabiem conſtantia, cœptaque ſolvi
Corde fides, Procerumque grave increbeſcere murmur.
Alvarus extemplò capit opportuna ſerendi
Tempora diſſidii, comitumque volentia ſpectans
De Duce corda queri, ſed non audentia queſtus
Promere, ſic acuit dictis, rupitque pudorem.
En quò verboſi Liguris veſania tandem
Perduxit miſeros: en quos invenimus Indos.
Stamus ubi vivis vel reſpiramen ademptum,
Scilicet hoc etiam reſtabat, ut improbus iſte
Prædo, domos poſtquàm, dulces cum conjuge natos
Abſtulit, & terram, raperet poſt omnia Cœlum,
Quin ipſum mare quo vehimur: non cernitis? hæſit
Torpens unda, nec ire licet, vetitumque redire.
Ni fallor, locus hic ſacer eſt, hominique negatum
Tangere: ſumma Parens rerum, quò feſſa diurnis
Membra miniſteriis tandem requieſcere poſſent,
Hac, procul ex hominum vulgo, regione remotâ
Quæſivit ſomnos, ac ſi pudor eſſet, alumnis
Cerni poſſe ſuis, & non operoſa videri.
Illius arcanum quod veſtigare cubile
Sacrilegis auſi remis, has pendere pœnas
Cogimur: una tamen ſupereſt via, grande piandi
Delictum, ſi cauſa mali cadat hoſtia Ductor.
Nec ſolus, cadat illius quoque Filius æquè
Perditus ac genitor: tota ab radicibus imis
Excidenda domus, noſtræ ne gentis ad omne
Dedecus, & damnum malè nata repullulet arbor.
An quis adeſt? hunc carnificem, artificemque doloſum
Qui putet ante aras Themidos non eſſe litandum?
Quantum ego de viſi conjectu interpretor oris,
Hìc nemo è vobis. Et quid ſocialiter illum

Ante

Ante trucidatum gladiis ultoribus, inde
In mare non agimus? quò nos temerarius egit?
In ſontem, ferro quamvis graſſemur, & undâ,
Semper erit meritis minor ultio; ſcilicet unum
Perdere permiſſum nobis, hic perdidit omnes.
Fortis at eſt, ideoque animi fortaſſe capaces
Vindictæ deerunt, præſentia franget & auſus;
Me me operis promitto Ducem: ſciat iſte ſatelles
Quo mare, quo venti, quo nos, & noſtra tenentur
Carbaſa, non ſimili gladios torpore teneri.
Polluere Hiſpanam ſcelerato ſanguine dextram
Depudet, Antipodum modo venditor iſte, procacis
Det linguæ pœnas: alium, quem prodere nobis
Somniat, inveniat primus ſub Tartara Mundum.
His ſtimulis coit in facinus jam mota juventus.
Parva ſub extincto ſic quæ ſcintilla rubeto
Delituit, ſolito ſi fortior ingruat aura,
Protinus in flammas adoleſcit, humoque relictâ
Tollitur: alta petens, alimentaque grandia poſcit
Ornos, & ſacras Dryadum conclavia quercus:
Suſpirat Paſtor ſylvam miratus ab alto
Vertice, momento nullam, quam condidit ævum.
Haud ſecùs unius male concita fomite linguæ
Nautica ſeditio, paulatim augeſcete cœpit,
Inque aliam ex aliâ: donec graſſata carinam,
Ramoſi latè ſegetem diffunderet ignis.
Proxima nox operi legitur: præfigitur hora:
Qualiscumque foret, viſa eſt ea longa furori.
O ſacrum! & nulli non inviolabile viſum
Nomen Amicitiæ! quem de mortalibus unum
Invenies, qui ſe Pyladæ non dicat Oreſten,
Et ſi litigium veniat de morte, recuſet
Velle mori, capitique ſuo præponere amicum?

Grandia verba quidem, dictuque facillima, cum mor
Eminùs; Incurrat viſus: animoſa repente
Verba cadunt, tetigitque animum larvatus Oreſtes
Ecce Duci fidi comites, qui Bætis ad oram
Promiſere mori, primâ formidine capti
Tantùm abſunt, ut ament illius amore perire,
Ut ſe morte Ducis malint à morte tueri.
Dicta ſed infandæ noctis jam venerat hora
In ſcelus eruptura; rates, arma, arma ſonare
Auditæ: vox una fuit, niſi cæde Columbi,
Haud aliter pigrâ ſolvendum compede Nereum.
Tunc ſcelus ad palmare citatis undique remis
Prætorem circumveniunt: præit Alvarus; At dùm
Tiſiphone accenſus geminâ, ambitionis, & iræ
Pontem aptat, ſcandat prior ut Prætoria roſtra,
Sive Themis ſcelerum vindex aliena parantem
Funera, in authorem meditata retorſerit auſa;
Sive quòd omne nefas audax, cùm pectore primos
Concipit impulſus, timidum cùm parturit; ardens
Seu plerumque ſui minus eſt quòd cauta cupido,
Adſtrictas recti furibunda nec audit habenas,
Proditor abripitur dum totus amore cruoris,
In mare ſubjectum ſimul ipſe, ſimulque ruit pons.
Præcipites in puppe gradus exterrita preſſit
Conjuratorum legio: ſed in æquoris imo
Pugna diù tenuit, certantibus undique monſtris,
Europæam animam cui prægustare liceret.
Jamdudùm averſos à ſe deſciſcere nautas,
Et muſſare duces ſolers prænoverat Heros.
Arma per, & fremitus ut apertam denique ſenſit
Perfidiam, motique tumultûs Alvaron eſſe
Comperit authorem, ſed & hunc à fluctibus hauſtum
Reddere non animam meruiſſe patentibus aſtris;
Obvius

Obvius armatis venit, dignúſque timeri
Non metuens: coram ſocii quem quæritis adſum,
Adſum, ait, inque necem caput hoc, ſi poſcitis, ultrò
Porrigo; ſi pectus, non denego. Talia fatus
Conticuit, pectusque manu nudavit, & hæc ſunt
Pectora, ſubjecit, veſtris exercita rebus,
Paſſaque pro vobis tot vulnera: cernite cruda
Signa, cicatrices: ferri conamine multo
Non opus. ut vulnus deſcendat ad intima, factâ
In venas penetrare viâ, timor omnis abeſto:
Nè vos offendat, nè me cuſtodiat enſis,
Accipite hunc: dixit. Pacatus & obtulit enſem.
Mota virûm manus eſt: quos non placaſſet in armis
Dux ferus, inque minis, hos exarmavit inermis.
Fixa ſolo tacita ora tenent: mens conſcia facti
Confundit vultus, manifeſtus & exit ab illis
Cum mœrore pudor ſcelerati proditor auſi.
Quale decus ſtatuæ gemini mixtura metalli
Sæpe dedit, quoties partim liveſcit ab ære,
Et rubet à ſcabri partim rubigine ferri.
Occupat actutùm Ductor molliſſima fandi
Tempora, & hæc iterum pacatior addidit: eſto
Cæde meâ, ſocii, ſtagni ſperetis inertis
Solvere ſegnitiem, volucres & reddere ventos;
Dicite, regreſſum duce quo tentabitis, & ſi
Nulla per hos tractus appareat obvia tellus?
Quis ne remetiri tantum maris audeat, idem
Reddat ut Europen, portuque reponat Ibero?
Arte opus eſt, arti vis ſubjacet, ingenioqne
Eſt hominis natura minor: ſed munere Divûm
Quanta ſit, & qualis conceſſa peritia nobis
Et maris, & terræ (deſit jactantia verbis)
Non alios teſtes, quàm vos interrogo. Quiſnam

Oro, quis edocuit nullo impalleſcere caſu?
Nonne ego? qui Pelago cum vela daretis iniquo,
Viſus eram Typhis; cum bellaretis, Jaſon.
Quorſum verſa retrò fiducia? mitto tumultûs
Accuſare reum, pœnæ ſatis ille, ſuperque,
Quam nollem meruiſſe, tulit; ſed vindice culpæ
Profuit exemplo ſocius malefidus, & anceps,
Quod docuit, curæ ſuperis has eſſe carinas.
Sunt curæ certè, ſolùmque jubentibus illis
Oceani ſomnus rumpetur, iterque redibit.
Tu modo par Patri, & Genito Spirabilis Aura,
Tempore quæ primo per aquarum ſumma docebas
Nare rudes Zephyros, intectaque brachia plumis
Serpere humi, aërios nondùm conantia niſus,
Labere vela ſuper, mavis ſeu lingua videri
Ignea, ſeu niveæ ſpolium veſtire columbæ:
Quâ ratione lubet, venias. Si poſcimus ultrà,
Poſcere fas Homini quàm ſit, nimiùmque precamur
Audaces miſeri; ſi terræ inſignia noſtræ
Splendida ſint quamvis, ſordent Tibi; nè dare ſaltem
Differ opem: ſatis, ut faveas, eſt velle favere
  Talia dicenti cæpere crepuſcula Solis
Sublucere novi, puppesque, undæque moveri.
Continuò voces in mutua gaudia nautæ
Non ſecus attollunt, quàm cum ſtrepit anſere multo
Pagus, ubi Erigone ſiccos minuente calores,
Prodromus Autumni largè demittitur imber.
Pons erat impoſitus, tranſmittitur: inde voluti
Certatim Ducis ad plantas, det, ſupplice vultu
Exorant veniam, faſſi ſe quamlibet eſſe
Promeritos pœnam: turbæ nec defuit illi,
Qui nudum exereret ferrum, jugulúmque retectum
Oſtendens, proprio fodiendum poſceret enſe.

Ille

Ille ſinu admotos peramantibus excipit ulnis
Blandus, & hortatur, vetera ut de pectore mittant;
Dignum nocte premi, quod in illâ nocte peractum.
Parcit & in ſontes inquirere, pulchrius omni
Eſſe genus veniæ reputans, neſcire nocentes.
  Ante Ducem lectus Procerum convenerat ordo;
Quæritur è tantis ubi ſit Fernandus: at idem
Ut nusquam inventus, quamquàm quæſitus ubique,
Creditur extinctus: dubitantibus, ecce doloris
Argumenta novi geſtans ſuper advenit Oſcus,
Oſcus Fernando juveni dilectus: eique
Ut compar animi ſtudiis, æqualis & ævo.
Quem Columbus ubi vidit, quæ nuntia, dixit,
De nato? vivit Fernandus? an occidit? effer.
Subſtitit ille parum: atque utinam, ſubjecit, ademptũ
Me quoque ſors illi fato junxiſſet eodem.
Dicebat, lacrymæ vocem impediere loquenti.
  Tum genitor: cohibe luctum, reſpondit, ad omne
Fortunæ jaculum clypeum virtute paravi;
Ingruere & quamvis nil poſſet acerbius unquàm
Prolis morte, feram tamen hanc, quâ ſumma malorum
Ferri mente ſolent, quoties mortalibus ægris
Quæ placuere nimis, Superi ſibi dona repoſcunt.
Quo periit, tamen ede modum: ſolatia luctûs
Vana quidem poſco, ſed non indebita Patri.
  Tunc ille: ut primùm nocturni fama tumultûs
Percuſſit juvenem, nec jam qua debuit acta
Fama fide expoſuit; ſed per mendacia creſcens
Pertulit, occubuiſſe patrem, fatumque parari
Par nato artificem cædis jam claſſe potitum
Alvaron, hac immane nefas mercede repenſum.
Nox, fragor, inque ducem jam creditus Alvarus, ante
Suſpectæ fidei, certum nimis eſſe jubebant

Credere rumorem: rapit arma ferociter audax,
Aut patrem ulciſci cæſum, aut defendere captum.
Ire ſed innumeros dum præfurit unus in omnes,
Et pulchrum putat eſſe, mori genitore perempto;
Audiit in navim, cujus moderamen obibat,
Irrupiſſe necis fabros, junctosque carinæ
Fratribus infidis: Fernandum in funera poſci.
Horruit infrendens, fixus non antè cadendum,
Quàm ſibi cæſorum longus præcederet ordo.
Dum tamen it præceps, totusque in imagine pœnæ eſt,
Nocte citos fallente gradus (Eheu miſerum me!
Eloquar, an ſileam?) lapſu cadit æquor in altum:
Arma gravant, hauſtumque vetant emergere corpus.
Tunc ego me ſenſi (Cœlum hoc ſpirabile teſtor)
Dimidio caruiſſe mei: fuit impetus unà
Et me præcipitem demittere fluctibus iisdem;
Fœdifragorum aliquis ſuper adſtitit, imperioque,
Et mucrone minax; & clauſus caſſide, clamat:
Dic ubi Fernandus? fateor reſponſa petenti
Nec dare tunc licuit, nec amico ferre levamen;
Tantaque me luctûs inopini copia cœpit,
Ut cum tempeſtas animi, quà rumpere poſſet,
Non reperiret iter, ſenium celerante dolore,
Sparſerit ante nigros nix intempeſta capillos.
Dixit, & oſtendit natos ex tempore canos.
Fabula tunc credi meruit, quæ propter amorem
Amiſſi Phaëtontis, aquis donarat, & herbis
Velatum ſubitæ Cycnum candore ſenectæ.
Talibus indiciis mortem teſtantis amici
Credita mors, omnesque velut de funere vero
Dant lacrymas, aliusque alii fit cauſa dolendi.
Conſtitit infractus genitor, vultuque ſereno
Fortis ait: nocuit non omni ex parte rebellis
Prodi-

Proditor, eripuit prolem, ſed tempore ab iſto
Vos eritis nati totidem, quot cerno ſodales.
Hæc ubi dicta, premit luctum, pariterque favore
Vela jubet Zephyri ſpirantis amiciùs uti.
Fama eſt illius Thetidem maris, hactenus oris
Humani ignaram, viſâ ſplendeſcere primùm
Columbi facie, ſacrâ formidine tactam
Hæſiſſe; atque illud, tanquam cui tradita jura
In piſces, & aves, animal regale videret;
Protinus accito gelidæ de ſedibus aulæ
Nereidum juſſiſſe choro, non æquora tantùm
Sternere, ſed curſus quò feſtinatior eſſet,
Glauca volaturis ſupponere terga carinis.
Dumque ope Nympharum graderentur, & alite velo;
Ecce viri, præterque fidem, ſpem præter & omnem
Subter aquas videre domos, præcinctaque muris
Atria, magnorum veluti prætoria Regum:
Quædam ſtrata ſolo, quædam inclinata jacebant
Fragmina, ſpirabantque tamen vel naufraga faſtum.
Tale quid adveniens dominam novus accola Romam
Aſpicit in Caveâ, frendens ubi carcere cœco
Tigris erat, patrii nemoris, rupiſque relictæ
Sævior exilio: donec ſpectante Senatu
Paſceret humano jejunia longa cruore,
Et ſua terribiles trepidarent gaudia Cives;
At nunc mole ruinarum, & ſqallore verendo
Obruitur decus antiquum, ſtat penſilis horror
Semirutæ majeſtatis, titubatque vetuſtas
Caſum ferre gravem: ſpectacula priſca requirens
Hoſpes nulla videt, lacerum premit herba cadaver,
Spectatorque ſui eſt nunc funeris Amphitheatrum.
Haud ſecùs Hiſpanos ingentia rudera viſus
Defigunt, imis interlucentia lymphis:

Ancipites primùm, num ſint ludibria ſensûs,
Vera ne recta, timent; ſed quamvis ſpectra domorum
Illa futura forent, oculos tamen inter aquarum
Tædia, diſtentos tam longo tempore, vel ſic
Tellurem vidiſſe juvat. Quò certior eſſet
Inde fides contis demiſſis æquor in altum
Tentamenta petunt, pulſantque latentia ſaxa:
Icta ſonum referunt, cæmentaqae vera fatentur.
Tum verò muros mirantibus orta cupido
Famam ſcire loci: noviſſe negantibus illam
Omnibus, Ergaſtus, mentem hùc advertite, dixit.
Veri mirus amor primis me cœpit ab annis,
Non modo quæ præſens noſcenda dat omnibus æta
Diſcere, Mæandri ritu ſed lumine verſo
Reſpicere ad fontem, Mundoque vacare priori:
Quòdque vetuſtatem non aſſecla ſegnis amarim,
Neſcio quo pacto me cœpi antiquior ipſo
Clam fieri, & minui quò plus de corpore, ſenſi
Creſcere plus mentis, fructus conamine dignos
Percipit hinc animus, quòd plenus tempore, raro
Adſtupet in ſubitis: & nunc, quæ veſtra morantu
Lumina, ſemirutâs ſubterlabentia turres
Æquora, non oculis veniunt incognita noſtris,
Meque vetat ſtupuiſſe Plato. Docet ille, fuiſſe
Inſulam Atlantæo in magno, quæ vaſta, patensqu
Margine terrarum, Occaſu committeret Ortum:
Quam totam intrà ſe nunquam majore ruinâ
Deglutivit humus, Mundumque diremit utrumque
Quis ſcit, an illa vigens Reſpublica, quam Plato regni
Ponit in exemplar, fluctu regnarit in iſto;
Hauſerit hic leges populus, dederítque ſeverus
Jura Magiſtratus: certè non ædibus amplis
Rudera degenerant: ibi forſan Curia ſedit,

Orcæ

Orcæ ubi nunc catulos celant, & convenit algens
Tritonum vulgus, Balænarumque ſenatus.
Usque adeò obtuſa in Superos, averſaque Recti
Tramite gens hominum culpatur; ut optima tellus,
Siqua fuit, Legum cuſtos fidiſſima, morum
Integra, Juſtitiæque tenax, jubeamur eandem
Aut citò ſublatam ex oculis, aut credere nullam.
At vos gaudendi tantorum ſtrage locorum
Sumite materiam, & finem ſperate viarum.
Terra propinqua modo eſt : nunquam Natura nocere,
Dum nocet, intendit: noxæ ſub imagine prodeſt.
Scilicèt è rebus ſummam ſtudioſa tueri,
Sæpe quod hinc aufert, alibi cum fœnore reddit,
Nullaque res unquam, niſi germinet altera, deſit.
Hanc ſuperinducto merſit ſi gurgite terram,
Non procul hinc aliam voluit fortaſſe renaſci.
His ubi delinit ſenior narratibus aures,
Ecce ſubobſcuri ſpecies aſſurgere Montis;
Tùm magis, atque magis clareſcere, donec apertè
Caute ſuperpoſitam fumus prænunciat Urbem.
India, confeſtim primus de puppe Columbus,
India mox læto ſequitur clamore Learcus,
Turba ſalutantûm concorditer, India clamat.
Non lacrymas præ lætitiâ tunc maximus Heros
Continuit, ſociosque tuens, & litoris oram
Oſtendens digito, ſic inter gaudia fatur.
En quæſita diù jam tandem terra reperta eſt,
Nec noſtrâ virtute, viri; Qui creſcere primas
Audendi pennas juſſit DEUS, ille volandi
Vim dedit, intactum cunctis confecimus æquor:
Terraque præteritis, & noſtris credita ſæclis
Fabula, quam vobis Hiſpano in litore, quamque
Grandibus Heſperiæ promiſi Regibus, hæc eſt.

O bene

O bene ſuſcepti, tot inauſa per æquora niſus,
Palloresque, metusque viæ! ſi debita merces
Tanta parabatur, pudet, ô meminiſſe laborum.
Nè tamen, ô fortes! errandi credite finem:
Ulteriora juvat penetralia viſere clauſi
Veſperis, éque tot, ac tantis legere Urbibus unam
Rerum grande caput, quo Ferdinandus abusque
Gadibus, in reliquos Indos diadematis umbram
Proferat, & dubitet, quæ major Iberia præſens
Quam regit, an potius per nos quam temperat abſens.
Dixerat: illi animis, oculisque in litore ſixis,
Quò propior terra eſt, magis hanc diſtare queruntur.
Ut tandem veniunt, prior omnibus egregius Dux
Emicat in litus, charæque dat oſcula terræ;
Et ſalve, ô! (dixit) rerum communis origo
Alma parens, quacumque plagâ veniamus, alumnos
Crede tuos, omnesque ſatos à principe limo.
Nos tamen è cunctis potiori jure teneris
Mater ut amplecti; quòd te tot iniqua ſecuti
Per vada, prætulimusque Tagi flaventibus oris,
Urbibus, & villis ſemper florentis Iberi.
Barcino tu poſthàc, tu nobis Corduba fies;
Hiſpalis, & Legio: Longè quin charior eſſe
Patria tu poteris, quam non accepimus ullo
Munere fortuito Patrum, ſed fecimus ipſi.
Utque eadem poſthâc deſiſtas barbara dici,
Hiſpana incipias, ſimul & Romana vocari,
Accipe Numen idem. Dixit, ſociisque colendum
Inde Crucis Labarum ſupremo in ceſpite figit.
Tacta novum nova terra DEUM præſenſit, ab illo
Facta repente ſacra eſt, conceptaque gaudia clauſo
Impatiens retinere ſinu, dum grandia credit
Brachia concutere in plauſus, tunc murmure miſſo
Ulti-

Ultima commovit centri fundamina, feſtas
Non aliter docilis, niſi mugiat, edere voces.
Jam dudùm indigenæ mirati vertice montis
Ire rates pelago, defixis vultibus æquè
Atque oculis ſteterant; nam cùm non cognitus illis
Uſus & antennæ, velique, atque arboris eſſet,
Tecta putabantur niveis argentea muris
Sydereis dilapſa plagis, longumque peroſi
Æthera, dignati terras viſere Divi.
Aucta fides, portûs poſtquam ſtatione potiti,
Mota fatiſcentis telluris inhorruit alvus.
Ergo ubi ſubter humus fugere,& tremere omnia circũ
Viſa, catervatim præeunte Antiſtite, Templum
Convenere; ſed ingreſſis nova cauſa timorem
Incuſſit: nam de motu paulò ante ſecuto,
Salvis parjetibus templi, Berecynthia tantùm,
Quæ venerabilior mediâ ſurgebat in æde,
Corruerat, vix ut veteris veſtigia Divæ
Agnoſcenda forent, ita magnæ ſtragis acervus
Omnia miſcuerat, turres, carpenta Leones.
Tunc Indos humilis ſtravit pavor: omnia prorſus
Conclamata putant; nam quâ ſperare ſalutem
A Divâ poterant, ſi quæ daret, ipſa jacebat.
Artemidorus at in turbâ qui Rector, & idem
Dotibus emeriti ſenii, & pietate Sacerdos:
Audite, ô Cives! dixit, contagia, bella,
Ætheris & tonitrus, pariterque tonitrua terræ,
Quæque alia irato Superûm mittuntur ab arcu
Tela, vicem præſtant clypei, terrentque, monentque,
Humana ut ſpecies rudis ad cœleſtia, vertat
Ora loco, quo pœna venit, diſcatque rogare.
Quælibet ira hominum placabilis, ira Deorum
Obſequio tantùm eſt: neget hos quis ab æthere lapſos?

Terrarum, dominosque maris ſatis arguit eſſe
Et mare cum domibus, quas ſuſtinet, & modo quorum
Sub pedibus tremere, atque audita gemiſcere tellus:
Quin Dea noſtra Deos ſatis eſſe, Deosque Deorum
Approbat, acta ſolo in præceps, & cedere Templum
Juſſa Diis, quos præ reliquis plus poſſe fatendum eſt.
Illos muneribus nunc demereamur oportet:
Non quod eis egeant, quorum ditione tenetur
Id quoque, quod Superis dare nos, & ſponte putamus;
Sed gaudent ſibi dona dari, ut majora rependant.
Dixerat: aſſenſere omnes, atque agmine facto
Ocyter ad portum donis comitantibus itur.
Munera divitibus ſunt pectita vellera ramis,
Artis Arachnææ tenues imitantia lanas:
Sunt pictæ volucres, ſunt & conchylia lectis
Eruta de ſaxis, ſunt gemmæ mille colorum;
Apta forent quamvis, & laudatiſſima viſu,
Hoſpitibus Superis non convenientia credunt:
Tantaque ſimplicitas agreſtibus inſita fibris,
Aurum etiam donare pudet, metuuntque repulſam
Nondum illi pretium faciente cupidine noſtra.
Jam prope litus erat, quo ſacrâ in veſte Sacerdos,
Ut ſtetit, utque oculos in pinea texta, Virosque
Præcipuéque Ducem circumtulit Artemidorus,
Oranti ſimilis, ſic preſſo proplite fatur:
O lapſum Cœlo ſalve decus! hæc (niſi fallor)
Ora, manus, oculos, habitusque inſignia, magnos
Credibile eſt geſtare Deos: non vidimus illos,
Credidimus tantùm, jam Te præſente videmus.
Nève putes oculis nos tantùm fidere, teſtes
Aures ſunt pariter, ſit quanta potentia vobis:
Vix tetigiſtis humum, cur acta tremoribus illa eſt?
Ni quia ſenſit onus, ſeque admirata gravari

Maje-

Majeſtate pedum, cum montibus ardua movit
Culmina tectorum: flagraſſe cupidine credas
Frontem humilem veſtris ultrò ſubmittere plantis.
Cur & delubri muris titubantibus, una
Tantùm ſtrata ſolo jacuit Dea? ni potiori
Ut Dea victa DEO vacuam concederet aram.
Quare age ſume locum, templumque decentiùs imple.
Non vafro poſthàc lapidi, nec cæca loquenti
Verba per ambages, vivo Tibi thura feremus,
Et poteris veras audire, & reddere voces:
Nec tantùm prodeſſe malis, ſed & illa cavere
Ne veniant: genus hoc donorum crede ſupremum
Ante venire preces, atque occurſare roganti.
  Talia dicta dabat populo cum ſupplice ſupplex.
Senſit Amatricem Divini Numinis Heros
Eſſe manum, quæ ſe cæcis ut proderet Indis,
Jam proludebat per prima crepuſcula Veri.
Cui poſtquam tacito grates ſub corde peregit,
In venerabundam convertens lumina turbam:
Dilectæ Cœlo gentes abſiſtite, dixit,
Debita Cœlicolis mortali impendere, quales
Vos eſtis, fateor, ſum de mortalibus Ipſe.
Thura mihi, & cultus, & marmora, quæ dare vultis,
Huic date; & oſtendit jam pridem in ceſpite fixam
Numinis effigiem, Cœloque, Ereboque tremendam.
Mox addit: DEUS iſte, DEUS; Si per freta longa
Non imitatores bigæ ſolaris inertes,
Illius à cunis, morientis ad usque ſepulcrum,
Venimus incolumes; Si mille pericula terræ,
Mille maris tulimus, Dux hic fuit unus, & idem
Umbo malis; Litus ſi poſtquam intravimus iſtud,
Vincla relaxavit ruptâ compagine tellus,
Urbis ad exitium veſtræ non illa recluſit

Os,

Os, veluti timuiſtis, hians: de Numinis hujus
Geſtiit adventu; Divam ſi denique veſtram
Stravit humi, quæcunque ea ſit, nullamque probavit;
Hujus opus. Novitas nec vos deterreat acti:
Nam ſi Mortales renuunt conſortia Reges,
Nec bene verticibus quadrat diadema duobus,
An ne poteſtatis conſortem ferre Poteſtas
Prima poteſt? ſolus Mundum qui condidit, idem
Fas regat: utque regat, non adjutore juvandus.
Ergo Terrarum cui machina ſubdita, Vosque,
Nosque ſumus, reſerate fores, & cedite templum.
Annuitis? Cùm dicta daret Columbus, & omnis
Numinis in vultum converſis vultibus eſſet
Indus, ab afflatu venientis deſuper auræ
Divinæ Charitis, jam præſentiſcere motum
Cœperat, interiorque dies in pectora labi.
Clamorem unanimes tollunt, manibusque levatis
Aſſenſere: rogant ultrò dignetur & Urbem
Viſere, Delubrumque DEO meliore ſacrare.
Tùm verò ad votum fluere omnia ſenſit ut Heros,
Dona Sacerdotis poſtquàm collata, benignè
Admiſit, grates egit, ſuaque obtulit illi,
Pauperiora quidem, ſed quæ novitate videri
Mira magis poterant: ſociis in claſſe relictis,
Ipſe viris ſeptus primoribus, aureus armis,
Inceſſuque gravis, poſt terga ſequentibus Indis
Cum lituis, crotalis, & barbarico modulatu,
Editiora petunt humilis faſtigia pagi.
Dumque viam variis fallunt ſermonibus, ecce
Putrida murorum moles in parte reductâ
Surgere conſpicitur, ſupràque labantia ſaxa
Luxuriare ſpecus, fruticantibus horrida dumis.
Subſtitit hìc Hoſpes, nec tam lapidoſa ſenectus
Con-

Contemplatores oculos defixerat, artis
Quam Grajæ ſpecies, & olens ſtructura Corinthum.
Fare age tùnc Heros interrogat Italus: & quis
Ille locus? veſtrúmne aliquis Faber? Hoſpes an ullus
Me prior Europâ veniens has condidit arces?
Ille refert: meminere ſenes, hùc ex Oriente
Neſcio quem veniſſe virum, cui nomen Ulyſſes.
Ille Deam Cybelen Terræ ſub imagine nobis
Attulit, ille aram poſuit, quamque aſpicis Urbem,
Ille Ithacam veteris patriæ de nomine dixit:
Illius hic tumulus, viſendi ſi qua cupido
Te capit, hùc flectamus iter; nec plura locutus,
Illùc à recto digreſſi tramite tendunt.
Quò ſimul ac veniunt, lacero circumdata muro
Area, feralique apparuit atra cupreſſu.
In medio circi ſublimibus urna columnis
Stabat ahena, ingens, ſed tam carioſa, tremenſque,
Quovis momento foret ut ſuſpecta ruinæ.
Dux prope ſuccedit, lecturus an ullius eſſet
Nominis indicium, nomen deleverat ætas.
Attamen è ſtatuis poſitæ cuſtodibus urnæ,
Maxima Victoris teſtantibus acta Pelaſgi
Noſſe ſatis licuit, cujus cinis eſſet in illâ;
Namque videbat utì Polyphemus Ulyſſis honori
Staret, ad opprobrium juſſus memorabile pœnæ
Frontis marmoreæ mediam oſtentare lacunam:
Staret ut Antiphates nequidquàm torvus, & ipſe
Saxeus, & ſaxum tamquam torqueret in hoſtem,
In tumuli pompam factum de marmore ſignum;
Hinc veluti Circe, Syren aſſurgeret illinc,
Inſidiis Mulier fabricandis utraque ſolers,
Uſaque blanditiis hoſtiliter, utràque victa
A Duce Dulichio, gladio altera, & altera cerâ.

Singula quæ docti poſtquam monimenta laboris
Vidit, & explicuit, nec non miſeratus inanem
Curam hominum de victuro poſt funera buſto,
Tanquam non etiam tumulos ſua fata manerent;
In circumſtantes ſic vertens lumina, fatur:
Gratulor, Heſperiæ populi, me partibus iſtis
Parva licèt, reperire tamen veſtigia noſtræ
Gentis; ab Aurorâ veſter quâ venit Ulyſſes,
Venimus Hiſpani: ratibus, quibus uſus & ille eſt
Nos uſi pariter; ſed non & vendere fumum
Delirantis Areopagi, commentaque vatum
Venimus, Hiſpanum pudor eſt conferre Pelaſgo.
Inclyta gens: toto quâ nulla potentior Orbe,
Fida Deo inprimis, mox Regi, nec niſi ſuprà
Regem, Numen habet, jus utriuſque tueri
Prompta, vel è venis diffuſo largiter imbre:
Inſcia tàm falli, quàm fallere: neſcia vinci
Seu ſit in officiis, ſeu ſit certamen in armis;
Non puto, vos hac conjungi cum gente pudebit
Affectus ſociare, in mutua commoda niti.
Credite, nil obſtat, coëant ut corpus in unum
Orbe alio geniti; quin ſæpiùs ex alieno
Degener utiliter rerum mixtura duarum
Juvit: ut in Cœlum pomis opulentior exit
Arbor, adoptato peregrinæ matris alumno.
Omnia jungit amor: quamvis diſtemus, ut Ortus
Diſtat, & Occaſus: diviſos attamen idem
Junget amor populos, ſicut diſtantia ſecum
Corpora naturis ligat ignis, & efficit unum.
Hinc ut turba duplex ſub eodem nomine vivat,
Principio tellurem Ithacam quam dixit Ulyſſes,
Tempus ad hoc Ithacam quam vos dixiſtis & Indi,
Hanc Hiſpaniolam poſthàc Hiſpania dicet.

Vix ea: ſuſtollunt hilares ad ſydera palmas:
Nec minùs Hiſpani fieri gaudentque, tumentque,
Pauperis ac pagi quàm plebs attolleret olim
Pectora, cum meruit Romana colonia dici.
Pignora mox fidei donant hinc inde viciſſim;
Reddere complexus, atque oſcula dictat inerti
Turmæ eadem Natura parens, & ubique magiſtra;
Signaque dum miſcent animos teſtantia fidos,
Eſſet amor, non aſſereres, Hiſpanus, an Indus.
Tandem alacres Urbem repetunt, foribusque recluſis
Graja ubi adoratam tenuit Berecynthia ſedem.
Hic Numen cœleſte locant: lætantur eandem
Stare domum, mutaſſe DEUM: melioris acerræ
Thura ferunt templo, precibusque recentibus ornant.
Talis ab Agrippæ celeberrima ſumptibus ædes
Juſſa diù Furiis clamydatis pelle Deorum
Æra, Corinthe, tua, & Numidas impendere venas,
Geſtiit, indecores Superos ejecit ut aris,
Admiſitque DEUM: magnâque ex Hoſpitis umbrâ
Eveniſſe reor, cunctis ut molibus Urbis
Deletis, foret hæc tantùm cui parceret uni
Ex æquo damnoſa Gothorum, & temporis ira.

# LIBER VII.

VIDERAT imperitare Crucem Telluris in æde
Torva Superſtitio, profugamque altaribus Indis
Ad Styga præcipiti Cybelen deſcendere curru,
Nudam Umbram, ſine prole latus, crinalibus orbam
Turribus, exuviisque Deæ poſt terga relictis:
Arſit acerba tuens, ſævisque doloribus impar,
Dente notam memorem labris impreſſit, & alti
Verticis attollens colubros, ſic effera fatur:
Et quis io! vacuus miſeræ mihi denique reſtat
Orbe locus, noſtro qui non evaſerit idem
Nobilis exilio? quid profuit Æthere naſci?
Namque ibi ſum concepta, meæque exordia vitæ
Tunc hauſi, cum Cœlicolûm pulcherrimus ille
Lucifer, aſtrorum cryſtalla recentia contrà
Obvius, arſit amore ſui, puduitque creatum.
At Patris, & Patriæ quid me fœlicis origo
Tanta juvat? Cœlo vix edita, pellor eodem,
Mittor & in præceps: feci prior ipſa cadendo,
Græcia quam Stygiam cantando conderet Urbem.
Nè tamen & Cœlo prorſus depulſa viderer,

Hoſpi-

oſpita telluris, cunctis ex Urbibus, Urbem
lam præcipuè legi mihi, credere Cœlum
uam terreſtre potes: juvat ô! meminiſſe beati
emporis illius, quo Romæ ſceptra tenebam
lille potens aris, cùm nullum crimen in amplâ
rbe foret, quod non patronum Numen haberet.
ic ego celſa ſedens Regina, calentia thuris
xigo de toto dum vectigalia Mundo,
Proh dolor! opprobriumque piabile tempore nullo!)
n ab Idumæa veniens piſcator arenâ,
ſeptemgeminis me collibus Urbis amatæ
Jequidquam prenſantem aras, tripodasque tenentem
vellit, rupique ſuæ vix Juppiter auſus
upremum dixiſſe vale. Quâ parte pudorem
)cculerem meliùs, quàm ſi celarer in urnâ,
Quâ Sol ipſe latet? feror huc, mecumque per auras
'one traho omnigenûm fugientia caſtra Deorum.
Iis ego committo quidquid tellure, marique
ndus habet pretii. Cubæ tenet aurea Regna
)elius, & linguæ longè facundior aſtu,
Quàm Delphis fuerit, populis ænigmata reddit.
Fortior utque DEUS cuſtodiat hæc freta, juſſi
)mnes Cœlicolas coaleſcere corpus in unum,
Effigiem oſtentans triplicem paſtoris Iberi.
Sic fore me tutam rebar, ſatis objice vallo
Defenſa Oceani, rivalis nilque Tonantis
Anxia, jura diù dederam, poteramque videri
Exilio fœlix: dum Mexicon, & Peruanas
Confero divitias, riſi de paupere Româ.
O pugnata mihi primo cum Numine ſemper
Triſtia, pugnarim Cœlo, ſeu prælia terris!
Ecce alius rurſum Liguri piſcator ab algâ
Mittitur, à Mundo qui nos eliminet Indo.

Heu qualis, quantusque venit! nùm terruit illum
Interjecta mari Diſcordia? mota ne movit
Tempeſtas animum? nùm porta impervia cunctis
Illi etiam? an ſurdos aditus obſtruxit Janus?
Flexit an auſterum pellacibus Inſula larvis?
Ceſſit an illecebris formæ, Theromantide victus?
Quin ea victa fuit: quæcumque obſtacula noſtra,
Hæc laudes facit eſſe ſuas, defeſſa jubendo
Sum priùs, is fuerit quam delaſſatus agendo.
Et modò, ni properem matura revellere naſcens
Ab radice malum, temerarius Advena Cubam
Tanget: & eheu! quàm vereor, ne Filia Regis,
Cui danda in dotem promittitur Iudia, cedat
Hujus in Uxorem; Quod ſi bene vertet, Abyſſus
Sola colenda mihi eſt: nec tam me territat ille,
Quâm DEUS illius fautor, quo Numina noſtra
Furtivis poſſunt nudata coloribus, umbræ,
Tænariique lacus ejectamenta videri.
Pellar ut ex Indis, ſolioque ſtet altera noſtro,
Mente feram placidâ? non ſic cecidere lacerti,
Ut jaceant, nec adhuc valeant timor eſſe Tonanti
Ante puella meis migret quàm transfuga caſtris,
Exauthorantis Baptiſmatis uſta ſigillo,
Sacrificanda mihi eſt. Vix hæc effata, remugit
Ditis inane Chaos: gemino Cocytus ab alveo
Movit arundineâ nigrum ferrugine crinem;
Attonitusque ſono ſtagni Nauclerus avari,
Umbrarum populum veheret cùm deſide cymbâ
Exanguem temone manum dimiſit, at illis
Excidit Elyſium, & mortem timuere ſecundam.
Nec mora, quem dederat Regi Maris ipſa tridentem
Accipit: utque illo DEUS ipſe tridentifer olim
Inclinarat aquas in avaræ mœnia Trojæ,

Oppor-

Opportunum etiam putat eſſe, ciere revulſum
ſede ſuâ Oceanum, ſupràque revolvere Cubam.
Non exorati tùm cardinis oſtia pandit;
Ocyor utque gradus ſolet eſſe nocere volenti,
Cubæ in conſpectum jam venerat: hìc pede poſtquam
Imperioſa ſuperficiem calcavit aquarum,
Vi quantâ potuit, cùm brachia tollit in ictum,
Tergeminoque ferit Neptunia tergora dente.
Icta quidem Thetis eſt; at non & viſa gradàtim,
Ut ſolet, in furias turgeſcere: more ruinæ,
Incubuit ſed tota ſimul. Paulò ante quieti
Aſſimiles ſtagni mitis, placidæque lacunæ,
In cumulos tolluntur aquæ: niſi vertice cano
Fluctivagus ſpumaret apex, hìc eſſe putares
Pelion, aut Oſſam. Ventorum cum grege, nondum
Vatibus oſtenſus ſtupet illius Æolus oræ
Innubes hyemes, tempeſtatemque ſerenam.
Jamque Amphitrite Concham confeſſa minorem
Litore major erat, fluctusque licentior ibat
Militis in morem, pulſaret ut atjete muros.
Protinus ad Regem magno trepidante tumultu
Urbs coit, unius dorſo, quo publica fata
Nixa putabantur, privata pericula mandat.
Arviragus Regi nomen, celeberrimus illo
Tempore apud gentes, ſpectatis gnaviter actis
Et pace, & bello. De conjuge nuper ademptâ,
Defletâque ſatis, proles huic nulla virilis,
Unica contigerat Regni fulcimen, & hæres
Filia, quam Genitor vano non augure doctus,
Quod geſtura foret moderamen in aurea Regna,
Dixerat Auriam: par indulgentia formæ
Reſpondebat, opes dotis factura minores.
Non magis Heſperiis formoſus ut Heſperus eſſet

Ignibus, Heſperiis hæc quàm formoſa puellis.
Quid mirum, ſi mille procis erat unica votum?
Non tamen ullus erat procus è tot millibus, eſſet
Qui ſimul ad Nuptæ votum: ceù præſcia, nullam
Ni peregrina foret, dignam ſe conjuge flammam.
Prole latus comitante, Pater procedit, & ore
Intrepidus, firmans nutantia pectora vulgi:
Cladem impendentem vobis, non ultimis, inquit,
Accepi, Cives, nec frigidus; Ut mare ſenſi
Litoris oblitum, nebularum ſyrmate nullo
Obſcurante Polum, pacemque tenementibus autis,
Funditùs ebullire, ſupráque aſſurgere portum,
Agnovi, fateor, manifeſtam Numinis iram.
Nec moror, Antiphanen ſcitatum oracula Phœbi
Ilicet expedio, mersâ quid ab Urbe requirant
Crudeles Superi: mecum ſi pondero, quales
Præmiſere minas, lacrymoſa piacula Vatem
Credo relaturum: quoties in lance malorum
Expendit ventura timor, pejora timere
Expedit, immeditata magis ne vulnera pungant.
At quæcunque petent, dabimns, certare ferendo
Non niſi cum potiore licet: nullique Virorum
Velle aliud, quàm quod Superi voluere, poteſtas.
Talia dum memorat, viſus remeare Sacerdos
Iratus fatis, affectatorque doloris,
Vatis nulla ferens inſignia, tempora cana
Frondis Apollineæ ſolitâ nudaverat umbrâ:
Frons, color, inceſſus longè dabat omina luctûs.
Ut ſtetit, Arviragus prior occupat: ulla ſalus ne
Reſtat, an occidimus? dic ô clariſſime Vatum.
Ille nihil: factoque gradu propiore, gravemque
Inde trahens alto gemitum de pectore, fatur:
O utinam! nunquam pietatis dote fuiſſem

Obvius

Obvius & Phœbo, ſacræque domeſticus aræ,
Nec me dulcis amor primis cœpiſſet ab annis
Mugitum tripodis, laurosque audire loquentes;
Non ego tam diri casûs Tibi nuncius eſſem,
O bone Rex! Verùm, quoniam me publica fari
Cauſa jubet, ſtirpisque tuæ depromere fatum;
Flebilis Hiſtoriæ, cujus nunc ipſe timerem
Eſſe vel auditor, metuam non eſſe relator.
Poſtquam nulli hominum licitas contingere Templi
Acceſſi latebras, & reſpiramine primo
Aëra teſtantem Superûm commercia ſenſi,
Procubui, precibusque ſimul, lacrymisque diſertus
Detexi patriæ grave vulnus, opemque rogavi:
Ecce DEI juvenis tergo pendentia ſigna,
Marmoreæ tremuere lyræ, tremuere pharetræ.
Tum vox flebilor (credas miſereſcere ſaxum
Invitumque loqui) ſic reddita fertur ad aures.
*Non priùs Oceani Numen placabile fiet,*
*Filia quàm Regis, facie præſignis, & annis,*
*Nuptæ ſacra ferens ſcopulo ſiſtatur in alto,*
*Monſtrifero nuptura DEO: DEUS iſte Deorum eſt.*
Dixerat Antiphanes, preſſoque obmutuit ore.
Poſtquàm detonuit fulmen, ceu ſurgit arator,
Quem procul à tauris ſtravit fragor, anxia primùm
Lumina circumfert per olentem ſulphura ſylvam:
Ut videt ex illo, quo cernere monte ſolebat
Percuſſam flagrare caſam, miratur, & horret,
Iraſci vel pauperibus didiciſſe Tonantem.
Non ſecùs audito ſtupuerunt augure Cives.
Præcipuè Genitorem ingens circumſtetit horror,
Unius in triſti defixum funere prolis:
Qui modò pro Divis, verbis tam largiter uſus,
Tamque animoſus erat, juſſis parere repugnat,

Accuſatque Deos, & verba procacia ſubdit:
Vane per ambages patrem quid ludis Apollo?
Noſco miſer genitor quidquid prætexitur hujus
Nomine connubii: non ad ſponſalia noſter,
Poſcitur ad cædem ſanguis, necis ara futura eſt
Illa maritalis rupes. Si debet ut uxor
Auria ad ſcopulum procedere comptior, omen
Hoc quoque mortis habet; quæ donatura cruorem
Eſt aris Superûm, redimitur Victima ſertis:
Et qui votivæ ſupponit colla ſecuri
Taurus, inaurato cadit ante altaria cornu.
Si Natæ thalamos peteret DEUS iſte Deorum,
More petitorum, cum verbis ante modeſtis
Blanditias molles, & prætentantia Nuptam
Munera miſiſſet: nil molliter, omnia ſævè.
Omnia perversè, violenter & omnia: nunquam,
Qui ſic terret, amat: ſponſi ſub imagine monſtrum eſt.
Neu dubitare queam, pelago venit: hei mihi, quantùm
Fluctibus ex illis monſtrum feritatis habebit!
Si DEUS hoc ſimul eſt, cur indiga corpora victûs,
Vexat iniqua fames, & inexſaturabilis ardor
Non niſi Virgineâ ſapidum dape paſcere guttur?
An Cœleſte merum cum faſtidire palatum
Cœperit, à terris petitur cruor, unde levetur
Torpor, & à nimiâ ductum dulcedine callum?
Non DEUS eſſe poteſt: homini prodeſſe Deorum eſt.
Te ne igitur (miſerande Parens!) ad lugubre ſaxum
Vivum funus agam, veniens ut bellua ponto
Devoret, inque ſuo mea viſcera viſcere condat?
Non hæc à teneris de te promiſſa parenti
Divini Cemes dederant, quam cardinis Indi
Affore Reginam cecinere, & prole beatam,
Et claram externo ducturam conjuge famam.

Quò

Quò ſpes ingentes, præconceptique Hymenæi?
Rictibus æquorei capitis dotabere Virgo.
Hæc ego perpetiar? fieri me judice nunquam
Turpe ſinam facinus: certè culpandus utroque
Et Patris, & Regis titulo; ſi tempore eodem
Exuo me Natâ, nec habentem crimina damno.
Talia jactanti magis inſanire, magiſque
Tempeſtas, veluti præſens auditor adeſſet
Motor aquoſæ hyemis, conturbatorque maritus.
Stabat muta metu patrem propè Filia Princeps,
Quam candore nivi ſimilis, tam frigore mentis;
Quæ ſimul ac bilem creviſſe licentibus undis
Advertit, capitisque ſui diſcrimine ſolo
Poſſe ſepulcrales muris avertere fluctus,
Interiore DEO præcordia fervere ſenſit,
Fœmineamque animam fugere, atque intrare virilem;
Se mediam Genitorem inter, populumque trementem
Inſeruit, contràque ſuam facunda ſalutem:
Quis pudor, exclamat, patriæ præferre puellam
O Genitor? nimiumque meum quia contuor eſſe,
Non reor eſſe meum: non ſum Tibi Filia tanti
Crede, tot ut populis merear par eſſe, meumque
Fatum lance pari, fatum libretur & Urbis.
Arbiter es legum, quod rectius elige: Cives
Morte meâ ſervare potes, me demere morti
Non potes; infando capiti niſi deferor eſca,
Tunc mihi cum reliquis communi in ſtrage cadendum eſt.
Parce parens, in te mea ſi reverentia peccat;
Patria jam pater eſt: illi maria effera contra
Quando obices deſunt, murum me ponite cives.
O ego ter fœlix! ſi per me ſtare licebit
Omnibus, hosque inter ſi Rex ſervabere nate

Servan-

Servandis aliis; neu ſim tibi cauſa doloris
Quod ſine prole cadam: per me quot vivere cives
Incipient, totidem pariet tibi Nata Nepotes.
Hi tibi ſint poſthac Auria, his conſule: amari
Quâ ratione queant, ab amore docebere noſtro.
Tu modo mitte queri: Divos non jurgia flectunt,
Irritant, pœnamque novam nova culpa laceſſit.
Quàm Regi ſi turba negat parere protervum eſt;
Tam ſi Rex Superis: velut hæc, ita ſubditur ille.
Itur ad imperium lege hac, ut ſerviat idem,
Grande gubernaclum qui ſuſcipit, obſequiumque
Exigat à populis, ſed nec præſtare repugnet.
Quare agite, ô Cives! Urbem ferale priusquam
Intret naufragium, ſaxi pœnalis ad aram
Ducite Reginam: quicunque ſit iſte futurus
Vir, Deus, an monſtrum, quod verius auguror eſſe;
Nubere nec monſtro metuam, modo patria vivat.
Tuque minax conjux ſi jam tibi ducitur Uxor,
Incipe placari: promiſſis ſtamus ut ipſi,
Te quoque ſtare decet, removeto penatibus undam;
Et, priùs exangues adeam quàm frigida Manes,
Pignora da pactæ fidei: da poſſe videre
Ad mea jam numquàm redituram lumina Cubam,
De vitæ nil jacturâ, Regnique movebor,
Servatæ viſu patriæ modo plena recedam.
  Talia dicta dabat, motumque ad verba theatrum
Ultima, non tenuit lacrymas, quas ipſa tenebat.
At Pater infœlix, non ultrà obſiſtere natæ
Suſtinuit, poſito teneri genitoris amore
In Regem redit, & durus virtute coactâ
Devorat introrſum cupientem erumpere fletum.
Mox natæ intendens oculos: ô Filia! Patrem
Vincis, ait: fateor, natura recalcitrat, orbos

Te

Te ſine ferre dies, quâ vivâ Regna placebant
Sola mihi, quâ ſublatâ, nec vita placebit.
Excubet ante tuos, ſed cùm Conſtantia vultus,
Oppoſitoque umbone rigoris protegat illuc
Oſcula ut ipſa etiam metuant accedere Patris,
Fortis ero, ſimilisque tibi. Quodcumque petitor
Exigit, actutùm famuli præſtate: vocari
Vult procus iſte, feræ cum præferat ora; vocetur.
Vult dici nuptam, perituram rupis ad aram;
Dicite: nec dici monſtri Socer ipſe recuſo.
Usque adeò miſeri quoniam ſumus, ut leve fiat
Mentiri, quoniam ſic & contraria Cubæ
Fata jubent, oculis falli patiamur apertis.
Feſta coronali præcingite tempora lauro,
In manibus tædas prætendite, lætitiáque,
Quâ decet, & par eſt, venienti occurrite Sponſo.
Dixerat: aſſenſum credas Regisque, Patrisque
Expectaſſe fretum, tumidas ut poneret iras;
Scilicet auritis ceu fluctibus uda receptum
Buccina Tritonis cecinisſet, aquatile retrò
Agmen agit furias, obſeſſam & deſerit Urbem:
Miraque res certè, quod fervida Doridos ira,
Quàm velox in pernicie fuit ante ferendâ,
Tam citò paruerit, deſiſtere juſſa nocere.
Creſcere confeſtim loca, decreſcentibus undis,
Viſa, redire viæ, tectusque aſſurgere portus,
Eque domo pavidi Cives educere plantas.
Qualis ubi vernâ nive turgidus, Alpe relictâ,
Plana per Inſubriæ deſcendit, inundat & agros
Eridanus, non indocilis poſt gaudia pridem
Expertæ libertatis fluitare modeſtè,
Intrà præſcriptæ recipit ſe marginis oram;
Tunc prope quæ poſitas tremere alta repagula ripas,
Amnis

Amnis & audierat fremitum Ferraria, preſſos
Solvit corde metus: reddi ſibi paſcua Paſtor,
Et nidos lætantur aves, & rura coloni.
Talis erat Cubæ vultus; ſed gaudia Cives
Ut ſua damnarent, faciebat Filia Regis,
Deducenda ſacram nova victima rupis ad aram.
Hùc iter eſt: longo præcedunt ordine Matres,
Inde viri, compti ſertis, in veſtibus aureis,
Voce canunt Hymenæon, at intrà pectora ſurdum,
Atque ideò miſerabilius ſubmurmurat, eheù!
Ultima ſubſequitur cœtu ſtipata ſuarum,
Nuptæ inſigne ferens, roſeâque in cyclade Virgo,
Fortis, & infœlix: & ſi conferre puellis
Iliacis Indam vati conceditur. ibat
Talis Achilleo nuptura Polyxena buſto.
Pone parens, quanto potis eſt conamine, pugnat
Prodere lætitiam: miſer eſt tamen indice vultu,
Et magnos docet arte tegi non poſſe dolores.
Venit ut ad ſcopulum, quò gratior Indica fiat
Iphigenia litanda mari, crudoque marito,
Ipſe Sacerdotem peragit Pater, ipſe miniſtrum,
Alligat & palmas; at dum quoque triſtis & exſpes
Virgineos vultus obnubere nititur, horret:
Inter opus tremuere manus, oculisque locutus
Neſcio quid, licuit quod non committere linguæ.
Inde abit, & reperit populum, qui ſparſus in amplo
Litore, venturum opperiens ex æquore Numen,
Nobile ſylvarum ſenium ſolvebat in ignem:
Cujus & obſequio ne lux plebeja niteret
Viſa ſub obſcurum noctis, de thure petuntur
Arſuri frutices, & olentes balſama flammæ.
Uritur abrotonum, nec avara cupreſſus odoris,
Uritur & laurus, ſtridendoque abdicat ignem.

Quid

Quid meruiſtis apes fabræ dulcedinis, illud
Sedulitatis opus veſtræ, deductaque tanto
Cera magiſterio, monſtri vectigal ut eſſet,
Proque DEO, qui nullus erat, nutrire nitorem
Juſſa foret, damnoque ſuo formoſa videri?
 Dumque ita pendentem tenet expectatio turbam,
Ex Hiſpaniolâ Victor veniebat Iberus,
Nil poſt aſſertam primæ telluris arenam
Non ſibi polliticus: qualisque inquirere juſſus
Foſſor opes, imis poſtquàm ceu Siſyphus alter
Luctatus ſcopulis, ferrumque expertus inane,
Flava repercuſſo tandem ſcintilla metallo
Si retegat venam, non unâ in rupe moratur
Sudor avaritiæ, montem ſpe devorat omnem.
Talis hic Heſperidum detectâ Principe terrâ
Ibat ovans, jam tunc animo dimenſus, ut omnes
Hiſpanis rerum dominis ſubmitteret Indos:
Erigiturque loco, ſibi qcòd gradus ille fuiſſet
Primus ad imperium, quo robore fractus, & annis
Invalidusque viæ jam defeciſſet Ulyſſes.
Proſpera vela diù dederant, & proxima pridem
Regalis Cubæ tenuiſſent litora, ſi non
Tempeſtas excita Erebo mota æquora latè
Invia feciſſet, carpentibus otia ventis.
Ergo ubi compoſitum jacuit mare, tramitis udi
Rurſus ad officium rediere morantia flabra:
Quorum ope plus ſolito claſſis fœliciter uſa,
Ante aditum tandem ſperatæ conſtitit Urbis.
 Eſt in conſpectu portus, quo nullus ad Indos
Divitior: ſedet in clivo pulcherrima Cuba;
Et quia de miro cretæ candore penates
Cruſtantur, longè meret hinc argentea credi.
Inter utrumque latus colles, ſtudioſaque forſan
Parthe-

Parthenopes ſimulacrum aliquod Regionibus illis
Reddere, Pauſilypum geminum natura locavit.
Addidit & concham ſpatioſi gurgitis, utque
Dormiat in clauſo mitis tranquilliter unda,
In mare protendit tanquam duo brachia tellus
Veſtita arboribus: credas hoc litore natas
Alnos Pyramidas nemorum, pinusque gigantas
In ſpem primarum ratium, ſedemque libenter
Hanc colere, & primas hìc expectare ſecures.
Pulchra loci facies, nec tempore pulchrior ullo,
Quàm quo ſub noctem ſcopulo pendebat in alto
Non niſi cum magno moritura Auria paratu:
Plebe, viris, pueris, & matribus omnia plena
Litora, prata, vias, turres, delubra, feneſtras,
Pompa favillarum feriebat: ut ignea poſſet
Ignibus aſtrorum jam tunc contendere Cuba.
Non ſecus Adriaci dominam Maris, incipiente
Si quis nocte videt, quid plus miretur in illâ
Dicere poſſe negat: cujus ſervire decori
Cùm non ſufficiat terræ mirandus, & undæ
Conſenſus, præſtare operam jubeatur & ignis,
Plus aliis, Solis qui penè vicarius, Urbem
Clariùs illuſtrat, duplicemque ſub æquore reddit.
Talis in occurſu primo dedit obvia ſe ſe
Cuba peregrinis oculis: ſtupuere decoræ
Urbis proſpectum, ſed non & cognita cauſa
Quæ foret ornatûs hilaris, cur tempore noctis
Mulciber in luxum tantum difflaret odoris.
Feſta coli Superûm plures, pars cætera gentis
Ludicra lactandæ plebi ſpectacula credunt.
At Dux magnanimus Divæ monitis Aretiæ
Jam pridem edoctus, quæ ſacra, cuique parentur,
Et quo cum monſtro, pro quâ ſibi bella gerenda.

Poſt-

Poſtquam oculis portum latè colluſtrat, & indè
Si qua foret, quærit, religata in rupe puella,
Non procul en rupes decorata tapetibus aureis,
Claraque lampadibus, ſupràque miſerrima Virgo
Conſpicienda venit: citus hùc, citus armiger, inquit,
Armemur: non hoſtia adeſt mortalis, ab Orco
Surget, & hujus ero dextro ſi Numine Victor,
Auguror audacter, jam nunc tota India noſtra eſt,
Quæ, ſi neſcitis, certàmine pendet ab iſto.
Non comites, ſpectatores vos eſſe jubemus,
Et prece, non armis, cauſæ ſuccurrite noſtræ.
  Plura nec effatus; flagrantibus aureus armis
Inſiluit cymbæ, ſcopuloque adnare laborat.
Illum incedentem ſparſi per litora Cives
Aſpiciunt, primoque armorum fulgure capti
Portentum cœleſte putant: tremefecerat omnes
Loricæ, & clypei nitor advena, quæque regebat
Terribiles efflantem ignes galea alta Leonem.
Cùm tamen ante oculos magis eſt admotus inertes,
Et magis, atque magis facies humana refulſit,
Se damnant, veniamque rogant, hominemq; fatentur.
Aſt ubi proximior ſpecies apparuit oris
Pulchrior ex ipſo tum forte calore pericli,
Illum non dubitant & Numen credere, parsque
Invidet Auriæ, tanto quod digna Marito.
Jamque propinquabat ſcopulo, quo Regia Virgo
Vincta manus manicis, àdopertaque lumina vittâ,
Sola, tremens, & inops, & conclamata manebat,
Utque ſtetit propior, circumfert lumina, luctum
Omnia ſpirabant, illam prope ſtagna volare
Aſſuetæ Halcyones miſerando carmine flebant,
Umbrabantque alis, tanquam defendere vellent.
Perculit ora Ducis ſors immitiſſima Nymphæ,

Nec faciem monſtrabat adhuc, quam noſcere flagrat
Cominùs, inſcendit ſcopulum, concuſſaque motu
Arma dedere ſonum: tum verò exterrita Virgo
Jam rata prorupiſſe feram de gurgite, ſeque
Illius in ventrem vivam deſcendere, vocem
Extulit: & venio, exclamat, nec demoror Orcum
Quiſquis es, ô qui cæde meâ connubia ſancis,
Si conjux, remove velantia flammea vultum,
Et concede, priusquam lumina morte reſignem,
Cui nubam, vidiſſe DEUM. Superadſtitit Herc
Talia dicenti, velumque removit ab ore.
Ut ſimiles oculos, ſimiles in Virgine verâ
Agnovit vultus, quales in imagine norat:
Pone metum, dixit, non huc homicida maritus,
Ut reris Virgo; veni, defenſor ut eſſem,
Virque tuus: clypei ſecura videbis ad umbram
Ipſa duellantem, merces & cauſa duelli.
Adſit & hic crudelis, inexorabilis, excors,
Nubere formoſæ qui funere Virginis ambit,
Optatis potietur; hymen celebrabitur, at non
Morte cruentus erit Sponſæ, ſed cæde Mariti.
Hæc ubi dicta dabat, pendebat ab Hoſpite Virgo
Jamdudùm, & totum luſtrabat lumine corpus.
Nec secùs illius cœpit ſermone levari
Deſpondentis opem, nimio quam Solis ab æſtu
Cum ſucci roſa languet inops, ſi vitrea Nais
Tempeſtiva ſiti nutrimina forte propinet,
Protinùs erigitur, pallensque redintegrat oſtrum;
Non ingrata tamen Nymphæ cui munera debet,
Occluſi partim, partimque adapertilis oris
Oſtendit riſum, cui dicere muta videtur,
Sum tua, crine tuo ſim non indigna reponi.
Talis Virgo fuit, grates quæ ſolvere verbis

Dum

Dum parat, injuſſis lacrymis madefecit ocellos,
Quas tergere volens pudibundo pollice, fruſtrà
Movit utramque manum, vinclorum oblita ſuorum.
Hæc inter totis motum mare fundamentis
Intremere, inflarique, velut gravis unda laboret
Rurſus in Hippolyti currus effundere taurum.
Intentæ dare ſacra DEO libamina gentes,
Dum trepidæ circumſpiciunt, paritura quid eſſet
Tempeſtas pelagi, monſtrum Cœloque, Marique,
Atque Erebo commune, in apertas expuit auras;
Prima Jovem facies de mole tricorpore reddit,
Altera Neptunum, tenebrarum tertia Regem.
Jamque fretum ſcindens ad pronuba ſaxa Deorum
Geryon veniebat; erant nec terror inanis
Sex oculi, totidemque manus, totidemque lacerti:
Sulcat aquas, humeriſque trimembribus umbrat eaſ-
dem,
Terribilique ſupercilio maria alta ſuperſtans,
Deſpicit hinc veterem ſibi quem partiverat Orbem,
Deſpicit inde novum ſibi quem partire parabat.
Quo viſo, DEUS ecce DEUS, miſerabile vulgus
Exclamat, geminatque preces, aggeſtaque verſat
Thura focis, ſacris tenebreſcit odoribus aër.
Ille datis fruitur, gaudetque ſuperbior ire
Clauſus adoranda caligine, nare guloſâ
Quam bibit æger hians, captuſque libidine fumi.
Jam prope litus erat; cùm præſtantiſſimus Heros
Auguſtam ad Triadem, cujus tunc vindice ferro
Cauſam acturus erat, ſic ora precantia vertit:
Summe Opifex rerum, ſine tempore, temporis auctor,
Cui Perſona triplex numerum non Numinis auget,
Sternere da larvam, quæ triplex corpore in uno
Hiſtrio facta tui, venit ut modo devoret Indum

Virgine in hac Orbem, cujus domina iſta futura eſt
Credula detinuit veterem ſi fabula Mundum,
Fac nequeat penetrare novum; ſed limine in ipſo
Nudetur latro tergeminus: jus grande tridentis
Neptunus ſciat eſſe Tuum, quas Pluto tuetur
Diſcat opes non eſſe ſuas, poſitoque Tonantis
Nomine, cogatur tibi reddere Juppiter audax
Legitimos tonitrus, & honorum fulminis ignem.
Talibus orabat; cùm jam prædator ab undis
Emicat, & qualis viſâ Leo cominùs agnâ,
Ibat in Auriam: miſeræ quis ſenſus, & horror
Tunc fuit? ut toto riguerunt ſanguine venæ,
Flavaque cæſaries altis ſtetit hirta capillis?
Si triplices coëant ſub eodem corpore Parcæ,
Terna ſoror certè non tantum mortis haberet,
Fratrum forma triplex quantùm modò mortis habebat.
Virgo quidem foret ante diem præmortua, cuſtos
Virginei lateris niſi ſuſtentator adeſſet,
Factus in audacem qui longè audacior, hoſti
Obvius it, clypeo protectus, & arduus enſem
Opponit, mediusque vetat contingere Nympham.
Senſit ubi ad prædam ſibi poni obſtacula raptor,
Continuò tonitrus patuere, Jovemque fatentur
Fulgura, nubiferam circum rutilantia frontem.
Immotus tamen eſt, & inania murmura ridet
Hiſpanus Capaneus, oculisque reverberat ignes.
Non tulit Ægiochus flammam differre triſulcam,
Excutit, & quanto valuit Jove: miſſile fulmen
Incidit in clypeum, clypei ſed in orbe refractum
Diſſilit, & fatuo ſequitur de fulgure fumus.
Tantum adamantis erat cœleſtis in orbe metalli.
Ille ubi nil aciem valuiſſe tricuſpidis ignis
Aſpicit,

Aſpicit, in ſua converſum quin viſcera cernit
Enſem, majores radios, majora minantem
Vulnera, quàm quæ pertulerat dejectus ab aſtris
Author ibi audendi, turpi formidine captus
Convertit Neptunum, & ſe ſe in fratre tuetur.
Hìc oritur cum Rege maris nova pugna, nec armis,
Utitur iſte maris, nimbos hyemesque removit.
Prenſat utrâque manu, pondus prægrande, tridentem,
Altiùs aſſurgens, mox excutit: obrutus eſſet
Heros magnanimus, vigili niſi providus ante
Lumine vitaſſet non evitabile vulnus.
Neptunus vires in ventum effundit, & unà
Mole ſuâ, pariterque Aretiæ viribus actus
In præceps, magno cadit impete, pronaque cervix
Frangitur ad ſaxum, ſaxum rabido ore momordit.
Pro ſanie ſpumæ manant, pro ſanguine lymphæ:
Murmurat, indignantem animam dum faucibus efflat;
Nec fuit incomitata: velut plerùmque potentum
Eſſe ruina ſolet, nexis cum fratribus, ipſe
Incurvus, cecidit reſupino Juppiter ore.
Advolat extemplò cœleſtibus acer in armis
Columbus, ſignansque locum ſat cuſpide Fabri
Lemniaci clarum, magnâ vi dirigit illuc
Enſem fulmineum, fecitque in vulnere vulnus.
Mira fides! ictum ſenſit quæcumque latebat
In Jove turba Deûm: Pallas quo vertice pridem
Exierat, ſimul ex illo prorumpere viſi
Mavors, Mercurius, Bacchus, Dianaque, Juno,
Vulcanusque, Venusque, pharetratusque Cupido,
Omnes indecores, omnes Stygia ora ferentes,
Et putres artus, exhalantesque Mephitim.
Occiderant fratres gemini; ſed tertius hoſtis
Expugnandus erat, Mundique noviſſimus hæres.

 Quem

Quem ſimul ejectantem oculis incendia vidit,
Jamque tremiſcentem, fratrum poſt fata ſuorum
Se quoque poſſe mori: non hoc dignabere ferro
Dux ait, in ſontum pœnas ſervabere tortor,
Torquendusque tamen. Vix talia verba profatus
Objecit clypeum: ſpectanti reddita forma eſt;
Utque repercuſſo ſe ſe conſpexit in ære,
Impatiens perferre, retrò deformia torſit
Lumina, ſeque ſuo fugat ore: ille omnibus horror,
Jam ſibi terribilis, ſibi nec tolerabilis ultrà
In mare præcipitat, flexoque in Tartara curſu
Cum Diis, pone trahit conſerta cadavera fratrum.
Nec remoratur iter prona unda ruentibus, altos
Quin aperit fluctus, barathrumque immane recludit.
Unà omnes illuc, Duce quò Plutone, trahuntur
Præcipites, Divosque ſuos ſua ſigna ſequuntur:
Harpe Mercurium, fluitantia tympana Bacchum,
Sceptra Jovem, cytharæ Phœbum, lorica Gradivum,
Et clypeus, galeamque vetant deſcendere criſtæ.
Merſa Venus, quo nata Mari, ſua concha nec illam
Defendit: ſimul iſta perit, ſimul ipſe Cupido
Mergitur arma tenens, merguntur & ipſius arma,
Utque erat ignitus, ſub gurgite ſibilat arcus.
Victor agit grates Auctori muneris, inde
Vaginâ emeritum non ante recondidit enſem,
Aurea virgineis quàm vincula ſolveret ulnis;
Cui ſuper adjecit: non hæc eſt digna catenis
Dextera, ſceptra feret, nec tantùm debita Patri:
Crede mihi, plùs à Superis, quàm credis, amaris.
Illa verecundo ſuffundens ora rubore:
Quidquid erit, dixit, de me quod Numen amicum
Decreviſſe volet, diademate carius omni
Rebor, & imperio, dextrâ quod ſerver ab iſtâ:
Ibat

bat & hæc dicens, ut figeret oſcula dextræ.
ibnuit ille, retròque pedem tulit: indue, dixit.
ortem aliam, & quid Te deceat Regina, memento.
Poſtquam Geryonem triplicato corpore ſolvit
Amphitryoniades, & vulnera lavit Ibero,
udoremque reliquit aquis, quem perlitus amnis
Miſit in hæredes: & nunc quot gignit alumnos,
Tot parit Heroës, & ad Herculis efficit umbram,
lli omnis Veſper tunc aſſurrexit, & illi
Hinc Abyla, hinc Calpe tanto pro munere viſi
Tendere gratantes, tanquam duo brachia, montes.
Non ſecùs effuſa in feſtos gens utraque plauſus
Litoris, & Pelagi, poſtquàm tria corpora in uno,
Tresque animas ſimul Alcides ſuperavit Iberus;
Ad ſcopulum Hiſpani primi de puppibus altis,
Ad ſcopulum exiguis tendunt cum lintribus Indi:
Par ſtudium cunctis, juvat ire, & in Hoſpite magno
Sacrare obtutum. & victricem tangere dextram.
At Pater Arviragus, toto qui tempore pugnæ,
Mentis inops, & præ dubio diſcrimine natæ
Hæſerat, & ſaxo compar, & penè cadaver,
Ex inſperato ſibi redditus, advolat amens
Lætitiâ, nil Heroi non tradere promptus
Magnanimo, Regnum, Natam, delubraque poſcat.
Canoâ properè invehitur, non addita Regi
Turba comes: viſum lenti, expectare ſequaces.
Venit ut ad ſcopulum, quo paulò exceſſerat ante,
Munus obire Sacerdotis ferale coactus,
Et Natam reperit, nec ut antè reliquerat, inſtar
Captivæ expoſitam, & pallentem morte futurâ;
Sed ſpecie, atque animis cum libertate refectam,
Gaudentem pendere ſui de Vindicis ore;
Non tenuit lacrymas, ſed nunc chariſſima prolis,

Ignoti bellatoris nunc lumina ſpectans:
Quid priùs aggrediar? (dixit) protendere natæ
Brachia ſuadet amor, patitur differre nec ultrà
Complexus nimiùm pronos in corde parentis;
Tanta tamen facti cùm ſit Tibi gratia, primùm
Me plantas jubet ante tuas procumbere Victor.
Tu mihi cum natâ Cives, cum Civibus Urbem
Reddis, Meque Mihi: per Te dum Filia vivit,
Tu præſtas nè, quæ ſuperat pars ultima vitæ,
Mœrori vivat, nigrâque in veſte ſeneſcat.
Stellarum quâ parte tamen delaberis Heros,
Edere ne pigeat; nam Te tua maxima facta
Non corpus mortale monent. Mala noſtra quod Ipſe
Ex intervallo poſitus præſenſeris, idem
Præſtiteris quod opem non exoratus, & illo
Tempore præſtiteris, quo Virgo innoxia culpæ,
Debuit eſſe feræ, modò quam ſpectavimus, eſca;
Hoc non eſt proprium, niſi Numinis, omnia cui ſint
Tempora cumque locis præſentia, prona juvando
Cui mens, ærumnis hominum non inſcia tangi.
Quo cultu tollendus eris, qui limine in ipſo
Nondùm Hoſpes, Benefactor ades? tua ſenſimus ante
Munera, de facie quàm Te cognoverit Indus.
Et quæ, proh Superi das munera! Bellua triplex
Te Duce ſuccubuit: reſeratum vidimus ipſi
Monſtrorum fœcundum uterum; Tua tempus in omne
Dextera proſpexit, rurſus nè Cuba tremiſcat,
Litora nè deſint, & fiant omnia pontus.
Quando igitur per Te vivit ſibi reddita Cuba,
Illam crede tuam, dominam tibi pandimus aulam,
Regni omnes aperimus opes, nec templa negamus.
Finierat; genibusque minor dare thura parabat;
Quod ſimul ac vidit, ſacro Dux percitus œſtro,

Surge,

ſurge, ait, ô inter fortunatiſſime Reges
Prole future tuâ: ſunt hæc indebita nobis;
Numen thura decent, mortali impendere ſummum
Crede nefas; cultu nam cum peccatur in ipſo,
Non datur, aufertur reverentia, Relligioque
Relligione perit. Cui ſunt hæc debita ſacra
Jure Trias veneranda feret, DEUS unicus iſta eſt
Perſonâ in triplici, cujus virtute ſubactus
Eſt modò Geryon, quem Ditis hiulca vorago
Expuit, æternæ Triados ſimulator ut eſſet.
Magna putas, pro te quæcumque hucusque peregi:
Ne dubita, majora manent. Mille agmina contrà
Circumſtent, noſtrâ virtute tuebere Regnum;
Et nunc, ut capias manſuræ in ſæcula fidum
Pignus amicitiæ, tectum Regale, quod offers,
Ingrediar: lux alma novum cum proferet ortum,
Si libet, & veri non indignaris amoris
Primitias, viſenda dabo ſpectacula claſſis,
Tempus ad hoc oculis fortaſſe incognita veſtris.
Hæc ait, amplexuque dato conſcenditur alnus
Regia: Columbus, Rex unà, Auriaque fertur.
A dextrâ Hiſpanis, lævâ comitantibus Indis
Contendunt aulam. Tantis non plauſibus olim
Regia Cephenûm fremuit, cum libera duris
Cotibus Andromede remearet Perſea juxta;
Namque ſuperba ſuo veluti de vindice, formam
Auxerat in majus: jam tùnc ut noſcere poſſes
Fulgentes oculos, & iturum in ſydera vultum.

# LIBER VIII.

NOn ita Tithoni croceum ſuper Æthera lectum
Floribus omnigenis pictor diſtinguit Aprilis,
Ut torus, alituum variis fuit undique plumis
Diſcolor, excepit primâ qui nocte Columbum.
Nulla viro nox grata magis: de cæde priori
Namque calens animus media inter ſomnia liber
Paſcebatur adhuc redeuntis imagine monſtri.
Dumque recordatur quo tandem vulnere ſtratum eſt,
Impar lætitiæ torpentia lumina ſolvit.
Mane rubeſcebat; Sol plauſibus anxius Urbis
Indulgere ſuæ, ſolitos de fronte nitores
Abjicit, induitur feſtos: fræna aurea demit
Morſibus alipedum, ſupponit gemmea: gnarus
Ignem, animos, faſtumque feris curſoribus addi,
Clara per attritos flueret ſi ſpuma pyropos.
At Ducis admonitu Cubæ contermina Claſſis
Luxurians belli comptu, jam terga Leonum
Serica, Sidonioque ardentes murice Turres
Extulerat, dederatque jocum criſpantibus auris.
Diſpoſitus ſupràque foros, tabulataque Miles

Indam incendebat clypeis: mira omnia longè
tantibus in ſpeculis, Urbemque habitantibus Indis,
Antennæ, puppes, apluſtria, lintea, proræ.
Nec minus Arviragi imperio gens omnis, & ætas
Viſendæ claſſis miro properabat amore.
Sol ibi Apollineo ſub nomine, more Pelasgo
Ritè colebatur: Divisque ex omnibus unus
Quandoquidē juvenis ſemper Deus, & quia nunquàm
Olli Cæſaries fit decolor, aurea ſemper,
Semper & incolumes vernant lanugine malæ;
Hinc ſpeciem cultûs ſibi natio credula fingit,
Ferre cutem nitidam, ſtudioque vacare comarum.
Non habet introrsùm quo ſplendeat, ex alieno
Accerſit radios, poſitis nullo ordine gemmis
Membra gravat: ſummâ nec tantùm corporis illas
Parte locat, talos etiam demittit ad imos.
Nec tamen idcirco gens prodiga creditur eſſe,
A luxu abſolvit mores opulentia terræ.
Nec jubar à rutilis emendicare lapillis
Sat reputant; ſpoliantur aves, ſua vellera pictis
Nec ſunt tuta feris: hunc veſtit Pſittacus, ille
Stellato tegitur Pavone, Leonis inaurat
Hunc juba, Pantheræ maculis involvitur alter.
Illorum quoties ſuprà caput adſtitit Iris,
Invidet, atque aliquid, quod non habet ipſa, cupiret:
Usque adeò citrà æqualem niſi ſplendeat unà,
Nunquam pulchra ſatis ſibi viſa ſuperba Venuſtas.
Si tamen ulla dies hos promere digna paratus,
Illa fuit certè, quâ flebilis Inſula, luctum
Heſternæ noctis poſuit, cum viſere non tam
Ambirent magnæ claſſis miracula Cives,
Quàm Ducis ore frui, Servatoremque vocare;
Non dubitaturi, quamvis ſpectator, & eſſet
Sol

Sol idem auditor laudum, præponere Soli.
Impleràt regale forum turba aulica, cùm ſe
Grandibus è valvis Rex & Columbus agebant.
Aurea Columbum ſedes vehit, aurea Regem,
Altus uterque Senatorum cervice levatus.
Ferre ſed Arviragum famulantia terga laborant
Sub magno anguſtum diademate: deprimit & plus
Sarcina gemmarum, quàm corporis. Eminet altè
Columbus, non imbelli ſpectabilis oſtro,
Sed galeâ, & criſtis, clypeoque decorus, & enſe.
Inter utrumque latus Patris hinc, & Vindicis illinc
Circumfuſa virûm rapiebat lumina Virgo
Regia, grata magis tanquàm de morte reverſa.
A Matronarum preſſis cervicibus odit
(Mos ut erat) Regina vehi, Alicorne ſedebat.
Mirum animal, cui ſi cornu, geſtare quod unum
Fronte ſolet, demas, equus eſt in corpore toto.
Nævus at in formâ nullus reperitur Equinâ:
Candentes humeri, juba candida, candida cervix;
At mens candidior, credas in pelle nivalem
Translucere animam, corpusque albeſcere mente.
Scilicet attactum Veneris quemcunque peroſus
Horret, & à ſolâ patitur ſe Virgine tangi;
Auriam præter, ſeſſorem admittere nullum
Paſſus, in hanc amor eſt, illi dare colla coronis
Impedienda novis, palpandaque terga ſolebat:
Ante nec à dominâ porrectas mandere frondes,
Molliter exerto palmas quàm lamberet ore.
Præcipuè lætus, premeret cum ſeſſile dorſum
Virgo, puellari tumidus tunc pondere, ſe ſe
Saltibus attollebat humo: quaſi dicere vellet
Jactabundus in hinnitu: tibi ſydera habeto,
Namque tuâ, longè eſt mea ſarcina pulchrior, Atla.

Non

Non aberant portu; de puppibus ecce canoris
Signa ſalutantûm lituique, tubæque dedere.
Nondùm aures in barbaricas penetraverat illud
Ex terrore melos: ſimùl ac auditur, in omnes
Gliſcere confeſtim Mavortius incipit ardor;
Mirati pace in mediâ, quod bella ſitirent.
Auriæ ſonipes docilis paulò ante lupati
Hinniit, erexitque armos: cornùque renidens
Dirigit in vulnus, tanquàm ſi cerneret hoſtem.
Senſit & ipſa ſuo flagrare in pectore Martem
Regia bellatrix, gaudetque quod ardeat unà
Virgineus ſonipes, geniumque ſecundet herilem.
Ecce aliud monſtrùm: cum nondùm partibus illis
Bellica veniſſet numeris gravioribus Echo,
Ruſtica ſed tantùm, vel inobſervata lateret;
Ut ſimul æriſoni modulatûs conticuit vox,
Audivere Indi nemorum convexa ſuorum
Reddere lege pari ſonitum clangoris eundem.
Quid foret ignari, convertunt lumina, quærunt
Author ubi cantûs; ut nemo apparuit, antra
Nec niſi ſola vident, eademque referre tubarum
Advertunt reſponſa, ſtupent: lætantur & unà
Tam citò quod Cubæ colles loquerentur Iberè.
Hæc inter portum ſubeunt; ad litoris oram
Cymba erat in promptu, remis inſtructa, virisque,
Quantùm munditiës fert nautica, compta decenter:
Parva, ſed Arvirago non indignanda, quod iſta
Illa eadem fuerit, quâ lamentabile ſaxum
Auriæ laturus opem properaverat Heros.
Hanc introgreſſi unanimes, Rex, Virgo, Columbus,
Ire jubent, ubi præ reliquis Prætoria pinus
Navibus editior, tantùm conſurgere viſa,
Collatus quantùm decreſcit Hymettus Olympo.

Cymbam conſequitur præeuntem turba minorum,
Hiſpanusque catervatim miſcetur, & Indus.
Per mare non aliter concham comitantur aquoſæ
Tethyos, excitæ liquidis Nereides antris:
Nonnullæ Delphine ſedent, interque natandum
Dant choreas, aliæ junctæ Tritonibus æquant
Voce ſonos, plures exercent brachia nando
Subter aquam; ſed & ora tamen cupientia noſci
Attollunt, gaudentque comas diffundere ventis:
Denſantur, ſe ſeque premunt: mens omnibus un
Velle Deæ lateri, niſi prima, ſecunda videri.
Ventum erat ad navim, quam poſtquam pont parato
Conſcendere, Patrem auguſtum, cum Virgine Natâ
Collocat ornatæ puppis Columbus in alto,
Unde vagaretur liber proſpectus in alnum.
Qualis ad introitum Labyrinthi Theſeus hæſit
Impos conſilii variarum errore viarum,
Ut penè exciderit manibus fiducia fili;
Talis & Arviragus viſis tot ubique carinæ
Hâc illàc parvis, & grandibus armamentis,
Reſtitit, atque uſum linguæ ſtupor altus ademit.
Adjecit Ductor cui talia: quàm vereor nè
Rex occallatis oculis ſplendoribus aulæ
Deſipiat, minuatque ratis præſentia famam.
Non domus hæc auri, veluti tua, dote renidet:
Ruſtica quam ſpectas tota eſt, & montis aviti
Filia fortis, amat patrium præferre rigorem:
At ſi luce caret, pretio ne crede carere.
Conſule quid valeant, neû res metire decore:
Dic quid aves inter Pavone venuſtius Indo?
egnis at ad curſum tamen eſt: ad fortia natus
Aſt aquilæ pullus roſtro deformis, & unguî,

Nubi-

Nubila tranſvolitat, nec tendere ceſſat, in ipſo
Inconniventes oculos niſi Sole probarit.
Talem crede ratem, ſylveſtris, & hiſpida primâ
Fronte quidem, quàcunque citatior alite fertur.
Colligere hinc poteris, quòd ad hæc longiſſima
Mundi
Litora, navigii pennis volitavimus hujus,
Quò priùs è noſtris nullæ venere volantes.
Quove venire putas nos cardine? venimus illâ
E tellure, modo eſt pedibus quæ ſubdita veſtris:
Namque ibi, ſi neſcis, Cœlum alterũ, & altera Terra eſt.
Reſtitit auditis Rex talibus, atque ita fatur:
Quæ memoras majora fide Rex maxime? noſtris
Sub plantis igitur Cœlum alterum, & altera Tellus?
Ergo homines etiam, ſi ſunt ibi, dicis ut eſſe,
Arboris inverſæ ritu pendere neceſſe eſt,
Stare nec in ſolido, ſimilesque cadentibus eſſe.
Olli ſubridens Dux hæc ſuperaddidit: extat
Subter humum, haud dubites, Cœlum alterum, &
altera Tellus,
Non minùs hac fœcunda viris, atque Urbibus; imò
Si das vera loqui, longè fœcundior iſtâ:
Illaque ceu nobis nunc ſubdita, ſubdimur & nos
Sic illi pariter: premimus, premimurque viciſſim,
Figentes populos ſua nos veſtigia contrà
Ne cernamus, obeſt glomerato pondere Tellus,
Aëre quæ pendet vacuo, ſimiliſque cadenti
Non cadit, in centri gravitate recumbere juſſa.
Iſta ſinu in magno cum piſcibus æquora, cumque
Antra feris, celſasque regit cum Civibus Urbes:
Non tamen ingenti rerum ſub mole fatiſcit,
Ponderis eſt expers medium telluris & imum.
Vivimus expertes caſûs vos, nosque, quod omnes
Diver-

Diverſo quamvìs, in eodem nitimur Orbe;
Nos vobis ſumus Antipodes, vos eſtis & illis.
At quoniam tellus librato pondere pendet,
Delius idcircò luces alternat, & umbras,
Circumiens Tellurem; hinc matutinus in iſtis
Qui nunc eſt oris, eſt veſpertinus in illis:
Duraque lex certè, nec amore ferenda parentis,
Ut non hos videat populos, niſi deſerat illos.
Quæritis, Eoi cur marginis advena nullus
Hanc ſit ad usque diem terras delapſus ad iſtas?
In causâ Oceanus, nullâ qui creditus antè
Arte regi, adverſas Gentes ita ſcindit, ut illæ
Vos non eſſe putent, illas vos eſſe negetis.
Primus ego è cunctis mortalibus, indice Cœlo,
Et comite ingenio, rate quâ confidimus, iſtâ
Vici undas: hæc me vada per declivia ſenſim
E ſuper impoſitis terris deduxit ad imas,
Hujus & auxilio non inferiore quadrigâ
Quam quâ Sol Cœlum colluſtrat, utrumque cucurr
Sydus, ad has terras donec delatus, eorum
Jam video vultus, pedibus quos ante premebam.
Scire ne delectat, quid nam hæc circùmque, ſupràqu
Innumera, & variis eadem conſtantia formis
Inſtrumenta velint? nil hîc non utile ſpectas:
Curſum cuncta juvant, & eundi munia præſtant.
Non ſecùs ad vitam tenuiſſima particularum
Turba facit, quas nos intrà Natura locavit,
Surgeret unde animal, cujus pulcherrima moles
Mundum æquat, parvâque refert in imagine magnum
Singula noſſe labor longus foret: edere pauca
Non tamen abſiſtam. Vix hæc, & puppe relictâ
Inferiora petunt: & primùm candida vela
Monſtrat, & antennas: docet inde quis uſus in ill

Auræ

Auræ impellentis; ceù ſpiritus objice velo
Non retinet curſum, ſed per cedentia ſenſim
Carbaſa continuat; ceu vi quâ fertur, eadem
Urget navigium, ſecumque per æquora ducit.
Et ne dextrorſum declinet pinea moles,
Neve ſiniſtrorſum, ſed eat, quò deſtinat ire;
Oſtendit clavum: ſimul edocet, hujus ut omne
Audiat imperium caſtelli machina nantis,
Non ſecùs ac agitur ſceptri Reſpublica nutu.
Mox ait: hunc cernis, qui deſpicit arduus undas
Stipes, & in medio fixus dominatur uti cor?
Partes cordis agit, cùm cætera membra carinæ
Robur ab hoc capiant, ut curſum rite ſecundent:
Si neſcis, idem patriis in montibus ante
Arbos ſtabat iners, jam mobilis ambulat orbem.
Nec ſatis hoc, jubet Oceano, quos tempus ad iſtud
Ne quidquam abſciderat, geminos comittere Mundos,
Utque hinc inde ferat ſociantes litora merces.
Non ſecùs à Cœlo terram qui dividit aër,
Idem etiam nectit, dùm vectigalia terræ
Accipit humores, ut eoſdem reddat in imbres.
 Hæc ubi dicta dedit, reflectens lumina retrò,
Portum ubi confertâ veſtibant abjete ſylvæ,
Intendensque manus: fuit hæc, ait, arbor, ut illæ
Nunc inhonoratæ quæ ſunt, quia cædere nemo
Doctus adornandæ navis traduxit ad uſum.
Tollite corda viri: conflandis navibus aptam
Materiem quando non tellus veſtra negavit,
Hiſpani ingenium dabimus quo ligna dolentur,
Inque rates abeant, ratibusque ſimillima noſtris.
Harum præſidio neſcis, Cuba aurea, neſcis,
Quanta tuis poſthàc accedat fama metallis.
Quale ſit his pretium, quàm magna potentia, nondùm

O poſſeſſores inopes noviſtis, egeni
Vivitis inter opes, quòd qui non æſtimet adſit.
Auri nullus honor niſi naviget, exeat exul,
Viſat & Europæ felicia litora noſtræ,
Errando pretium lucrabitur: ipſaque Cuba
Penè recognoſcet, quàm per commercia crevit,
Viderit ex illo cùm tot ſibi mira reverti,
Vina, oleas, meſſes, ſegetes, holoſerica, lanas,
Adde artem, quâ divitiis diſcatis & uti.
Dixerat: illi alacres præſentia gaudia tanquam
Percipiant, mittunt ſpes in ventura, Ducique
Tanta fides, ut verba putent ab Apolline dicta.
Tum ſingillatim partes exponit, & effert
Nomen cuique ſuum, tabulata, ſtatumina, tonſas,
Tranſtra, foros, ſpeculam, remos, contumque, d
lonemque.
Indicat & vires: quid præſtet ahenea roſtro
Prora, quid & funis, trifidoque quid anchora dente
Præcipuè in minimâ quantum ſit pyxide nervi,
Cœcus ut in medio deprenſus navita ponto,
Inſcius undarum, quid araverit, & quid arandum
Inde ſibi reſtet; quæcunque ænigmata Cœli,
Ambagesque viæ magnete interprete ſolvat.
Alma ſed Auriæ nil ora libentiùs implet,
Æriſoni ſpecies quàm torva, cavique metalli:
Hujus in obtutu pendet, nec cernere tantùm,
Ultrò audet tractare manu, nec dicere poſſes,
Materiæ ne magis novitate fruatur, an artis.
Inde Ducem ſpectans: dic, ô fortiſſime, dixit,
Pigra quid hæc moles ſibi vult, & inutile pondus?
Quantùm conjicio, color iſte, figuraque quoddam
De genere armorum monet eſſe, vetaret id ipſum
Credere ni gravitas, belli conatibus impar,

Machi-

Machinaque humano non evibranda lacerto.
Ductor ab his: hanc, pondus iners, & inutile; molem
Virgo vocas? Vis experiar, qui languor inerti?
Ocyus excurite hanc famuli. Nec plura locutus,
Imperat explodi: vix introgreſſa foramen
Flamma per anguſtum, nitrati pulveris eſcam
Corripit; Ætneis qualis ſolet eſſe caminis
Fit fragor: intremuit mota Inſula, procubuere
Quot quot erant, cum ſe percuſſum fulmine quisque
Crederet ex Indis: cecidiſſet forſitan & Rex,
Nutantem ſi non rexiſſet Filia Patrem.
Cui blandè arridens dictis affatur amicis
Dux ita: ſolve metum, muralis machina luſit,
Moris ut eſt Cœli ſine fulmine: ſulminat unà
Hæc quoque, vim ſubitam vi quando repellere fas eſt.
An ne videre cupis, quali concreta vapore
Fulmina ſint? pandam. Dixit, plenamque pilarum
Oſtendit corbem, quarum pars ære rigebant,
E plumbo plures; Tum ſic: quos aſpicis orbes,
Nunc impune potes ſpectare, & tangere; verùm
Alvo ubi tornati ſimul hos demiſeris æris,
Ignemque admôris, telum hinc exire videbis;
Quale ſuum partum nubes non eſſe negarent.
Heu miſeri! volitans in quos offenderit ignis;
Non exercitibus, non mœnibus, & Caſtellis
Stare datur, ſtrages indevitata ſequetur.
Neſcio quis Rex Androphagus (velut audio) Cubæ
Infeſtus, veniat: deſint ubi cætera, ſola hæc
Conficiet moles, & per compendia bellum.
Vix ea dicta, ſilet; ſed jam Titania lampas
Altior ex æquo metâ diſtabat utrâque.
Ergo Duci ut viſum ſpectaclo navis abundè

Eſſe datum, puppis fert ad faſtigia Regem.
Menſa ibi de Batavi mantilis candida lino
In promptu, menſamque ſuper cryſtallina vaſa,
Artis opus Venetæ: facies non omnibus una
Eſt pateris, niveæ ſpeciem gerit altera conchæ,
Altera naviculæ ſimulantis nare per undas,
Conſortem nec amantis aquam, ſi ſerviat uvis.
Nec color eſt idem variis: viret hæc, rubet illa,
Huic honor à roſeo decori eſt, amaranthinus illi.
Cuncta quidem diverſa, ſuis vel digna videri
Mira etiam dominis, ſi non & proxima frangi.
Lex ea formoſis ceù lata ſit omnibus, ut res
Pulchra ſit in fragili, placeat, jubeatque timere.
Quæ ſimul Arviragus primùm videt, utpotè nondùm
Edoctus, liquor Alpinus quid frigore fabro
Audeat, in quales formas, qualesque colores
Molle gelu Venetus mox induat igne miniſtro,
Multicoloratam glaciem miratus, & artem,
Eſſe putat gemmas fuſi miracula vitri,
Gemmis imo ſuis longè majora fatetur.
Sic poſtferre puer pretioſa crepundia pomo
Sæpe ſolet, tenet hoc, blanditur, & admovet ori:
Quodque nequit mordere, gulâ collaudat inermi,
Divitiasque putat, felix, quia neſcit amare.
Tunc ita Columbus: Rex præclariſſime, quantùm
Conjicio, pateras laudas Oriente creatas;
Sed laudare parum eſt, niſi quam libamus in illis
Inter prandendum, pariter libaveris undam.
Unda nec iſta lacu venit, aut de flumine, ſed quam
Exprimit Autumnus, vinumque vocamus Iberi;
Et quia Canariæ de torcularibus iſtud,
Omnibus idcircò generoſius: imbue rore
Labra novo, forſan non aſpernabere: quamvis

Omnia

)mnia non omnis tellus ferat, omnibus una
ıttamen ingenua eſt populis gula, gratia quando
.ebus ineſt, nunquam ſenſus non arbiter æquus.
Dixit, & in tereti flavum cratere Lyæum
orrigit Arvirago: Rex accipit, utque colorem
ıſpicit aſſimilem latici, qualem Mida dives
ndelibatum miſero deprendit in auro,
nſuper & liquidæ præſenſit acumina vitis,
:xclamat, fateor, vel in ipſo nectare nunquam
'ale quid expertus, quò ſit manifeſtior ori
ſte lepos, iterandus erit. Proin ocyùs hùc vos
erte dapes famuli, quas providus antè venire
'ræcepi: ut Tecum lux hæc genialis agatur
'eſte mari, quique ante meæ infortunia prolis
'iderat, aſpiciat pariter convivia portus.
Hæc naſcentis amicitiæ jacitore libenter
ſemina per ſocias epulas, ut tempus in omne
Miſceri, vos nosque inter, doceantur amores.
Dixerat: è tectis ſed jam prædivitis aulæ
Canoæ præmiſſæ aderant, ſecumque per undas
Attulerant regale penu, nec edulia tantùm
Claro nobilium procerum ſervata palato,
Plebis at in ventres etiam mittenda minutæ.
Ergo ubi feſta procul ſolito tuba nautica cantu
Convivale dedit ſignum, tum juſſa ſedere
Primo Auria loco, Rex juxta, exinde Columbus;
Cætera turba Ducum ſedes habuere minores.
Quidquid alit ſapidi Junonius in jecore ales,
Pſittacus in linguâ, Gallina quod hoſpita prati
Clunibus in niveis, quod cereus Anſer in extis,
In lumbis Turdus, totoque in corpore Gallus
Non Veronenſis tantummodò montis amator,
Venerat auratis in lancibus, inter edendum

Fercula conciliante per intervalla Lyæo.
 Ecce autem facies epuli nova; magnus in orbe
Gemmantis patinæ, manibusque ingentis Ephebi
Vix ſuſtentandus, menſis apponitur anguis
Integer, & patriæ conditus aromate frugis.
Anguis erat, talem frons extima & eſſe monebat,
Criſta, caput, ſquammæ, quæque extrà porrigitur va
Cauda, volubilium ſpirarum cærula tractu.
Terruit Hiſpanos colubri præſentia: nemo
Tangere ſuſtinuit, credunt vix cernere tutum;
Dux anceps aliò vultus dum flecteret, hæſit.
Olli ſubridens tum ſic Auria profatur:
Nullæ hìc inſidiæ, decus ô, tutelaque Cubæ,
Fronti crede parum, mendax natura jocosè,
Sæpè quod in pretio eſt, ſub pellibus occulit hirtis,
Ex inſperato veniat quò gratia major.
Viſu fœda quidem præſens eſt bellua, quam nos
Dicimus Uvanam, ſed & hac jucundius eſcâ
Nil tellus, nil pontus habet: non unius hoſpes
Eſt laris, interdùm quo naſcitur æquore vivit,
Ludit & inter aquas; & tanquam parcere cautus
Cognatis ſquammis, & piſcibus horreat idem
Piſcis ali, terram ingreditur, per non ſua vadens
Regna novus quadrupes, & odoris veſcitur herbis.
Tam bene convivas quòd vellicet iſtius eſca,
Non eſt cur ſtupeas, quando duplex elementum
Carnis ad illecebras ſapidæ conjurat amicè.
Sed quid opus verbis? verum experientia firmet.
 Hæc ubi fata, prior partem ſecat; ulla latentis
Neù queat hoſpitibus formido ſubeſſe veneni,
Guſtat prima dapem: guſtandam porrigit indè
Columbo, ſimul ut prælibet, ſupplicat, idque
Indicium dare dulce ſibi dignetur amoris.

Offi-

Officio victus capit ille ſerenior eſcam,
Mandere & oblatam non diſtulit; utque palati
Venit ad examen ſuſpecti gratia piſcis,
Quam ſimul & terræ ſimul æquoris efflat alumnus:
Parce, ait, Uvanæ in laudes, ô maxima Virgo,
Parca nimis tua lingua fuit; quàm dicere poſſes,
Longè plus reperi, ſciri nec aculeus unquam
Iſte voluptatis poterat, niſi judice ſenſu.
Sic ait, & ſociis jam nil metuentibus, imò
Ultrò avidis ſentire feram, dedit inde fruendam.
Accipiunt, mandunt, admiranturque, nec ore,
Aut oculis tantùm, geſtu quoque gaudia faſſi.
Cunctorum vox una fuit: non Phaſidis ales,
Non Acipenſer, honos epularum, hoſpesque marinæ,
Et fluvialis aquæ, non Phœnicopterus illi
Æquandus; titulosque tulit tot denique Serpens,
Quanta nec Albanam quondam delatus in aulam
Ore Senatorem meruit præconia Rhombus.
  Sublatis epulis, menſas tribuere ſecundas
Hiſpani: promunt Liguri condita camino,
Veris & Autumni bellaria, citrea mala,
Prunaque, ſaccareasque nuces, durataque dulci
Poma gelu, idcircò brevis ævi à ſorte redempta,
Nec ſalſis corrupta fretis, nec conſcia tabis.
Forte Auria pyrum, cui rubra in caudice vitta
Hærebat, ſummis digitis acceperat, utque
Dentibus admovit, veneres experta palati;
Hos fructus quæ terra parit, dic Inclyte, dixit:
Forma quidem noſtris ſimilis, ſed gratia certè
Non eadem; ſua ſic illos nùm parturit arbor?
Cui Dux arridens: parit hos mea patria, reddit,
Mira opifex per ſtillatos ab arundine ſuccos
Perpetuare roſas, vitamque extendere pomis.

Reddidit illa : fidem faciunt telluris avitæ
Et fructus, moresque tui dulcedine pleni.
Unde tamen genitus, grave ſit niſi dicere, profer:
Omnibus è terris erit hæc chariſſima certè,
Quod mihi Te dederit, per quem mihi reddita vita eſt.
Tunc Heros : laudum præco licet eſſe ſuarum
Æquus nemo queat, malo inſincerus haberi,
Quàm votis obſtare tuis. Quâ glorior ortus,
Janua nomen habet tellus, ditiſſima terra,
Et terris formoſa eadem magis omnibus una :
Reginæ in morem, quæ circumfuſa propinquis
Urbibus hinc illinc, ſeque extendentibus unam
Eminùs in faciem, quæ montibus inſuper altis
Edita, ſpectaclo pelagi ſedet, ipſaque primùm
Gentibus Heſperiis, patrioque tumentibus axe
Objicit Italiam. Viſis procul advena muris,
Villarumque ſupercilio, faſtuque domorum,
Hæret inops animi, & totam ſatis Urbe vel unâ
Æſtimat Auſoniam, quam per miracula ſolùm,
Non aliàs, intrare licet. Quid tangere portum
Cum datur? hinc turres & propugnacula belli,
Inde catenatum mare molibus, impoſitumque
Juſſum ferre jugum : quas creditur Ennoſigæus,
Europâ coëunte Aſiæ, fregiſſe catenas,
Hic patitur Nereus; verùm quas induit ipſe
Submovet à populo, libertatemque tuendo,
Libertate caret : cur ô! cur objicis Alpes,
Damnatosque petris oculos vaniſſime livor?
Expende agreſtes cultus, ars vivida gentis
Induit in laxum ſcopulos, naſcique coëgit
Cautibus in mediis Pindum, Elyſiumque Deorum.
Expende illuſtres animas, quæ Marte, togâque,
Pene Orbem fecere ſuum; rerum alma creatrix
Lar-

argiùs eſto alias Natura beaverit oras,
rugibus hanc altæ Cereris, felicibus illam
itibus: at claram Ligurum dùm conderet Urbem,
eſpexit terras, animis ut tota vacaret.
Finierat, laudesque datas ſatis ipſe docebat
redere, qui præſens Urbem laudabat alumnus.
Iæc inter, dum cuncta ſilent, menſæque remotæ,
x inopinato, ſudo Jove, deſuper Æther
ntonat, inde ſequax tonitrûs per inania viſus
ulgori ſimilis ſulcus clareſcere lucis;
'ictus eo Sol eſt, latuitque in lumine lumen.
ntremuere omnes, ſed non & territus Heros,
ætior exclamat: bene habet, jam publica portum
ota tenent, nil ulteriùs ſperare relictum;
Jam mihi lætitiæ venturæ præſcia ſignum
Ioc Aretia dedit: cùm primùm adveneris Indos,
)ixit, & audieris Cœlum mugire ſerenum,
unc ego cum reliquis Divinæ mentis alumnis
ngrediar tecum Dominam non agnita Cubam.
Audiſtis tonitru? Si non præeuntia bombus
ulgura præmiſit, bombus ſed prævius antè
ulgura præceſſit, ſignum Cœleſte profectò eſt,
irtutum quo ſacra cohors ex æthere lapſa
)rbis in amplexum veſtri deſcendit, & Urbes,
)ilectam ante alias dignatur viſere Cubam.
Ah! utinam nobisque ſimul, vobisque liceret
Materiæ expertes Divas agnoſcere coram;
Credite, nulla foret ſpectatis gratia gemmis,
Solis & hoc veſtri vobis ſordeſceret aurum.
At quoniam mentis non eſt tractabile pulchrum
Humanis oculis, ſaltem poſſitis ut umbram
Parte licet minimâ ſpeciei noſcere tantæ,
llarum ſimulacra tuli: convertite vultus.

Dixit,

Dixit, & explicuit telæ mirabile textum,
Geſtamen lateris Divinæ donum Aretiæ,
In quo Seque, ſuasque expreſſerat alma Sorores,
Addideratque Artes, & Partes quatuor Orbis.
Ut Phaëton Patris novus advena factus in aulâ,
Vidit ubi portam Siculi cælamine fabri
Mille figuratam monſtris, licet inſcius eſſet
Ætheris, & Zonæ graphico radiantis in ære;
Attamen ignari mentem paſcebat idipſum,
De cenſu partem eximiam neſcire paterno.
Non ſecùs Arviragus pendens ab imagine mirâ;
Virtutes ſpectat; ſed quas ignorat, eaſdem,
Neſcio quo afflatu telæ veniente propinquæ,
Diligit: illuſtres habitus conſiderat, & quæ
Unicuique Deæ ſua ſint inſignia luſtrat.
Nec vidiſſe ſatis: prænoſcere nomina quærit;
Nec vidiſſe ſemel, quas viderat ante, videre
Rurſus amat. Tacitè intereà ſub pectore, ſacros
Serpere præſenſit, quos non intelligit, ignes.
Singula luſtrarat, ſummâ quæ margine lini
Quæque notabantur mediâ; cùm venit ad imas
Deſinere inferior quà baltheus incipit oras,
Terrarum quatuor de partibus, aſpicit unam,
Cui par forma ſuæ, faciesque ſimillima Natæ:
Reſtitit, innaſcique animo nova gaudia ſenſit.

Tunc ait: ô verum niſi Numen, maxime certè
Numinis interpres, veniam da Patris amori,
Si nimius videar ſcitando plurima: fare,
Iſta meæ quænam Regina ſimillima Natæ?
Arte ne, vel caſu factum, tam conſona veræ
Eſſet ut effigies? Si non ars fecit, ob hoc eſt
Res quoque mira magis, quod caſus fecerit artem;
Si tamen ars fecit, cur quam non viderat unquam

Red-

Reddidit? egregium quò plus examino vultum,
Hoc magis eſt ſimilis, neque fallunt lumina Patrem.
Olli fatidico Dux pectore talia reddit:
Rex non deciperis, ſi quæ Te viſa parentem
Arguit effigies, credi tua Nata meretur.
Nata tua eſt, manavit opus nec origine caſu,
Mente ſed à primâ, cujus ſapientia patrat
Quidquid apud mortale genus ſors cæca vocatur.
Tres aliæ quæ ſint, forſan ſcitabere Nymphæ,
Et tua Reginis cur grandibus addita Nata,
Omnes lætitiæ cur ſigna ſororia monſtrent;
Hæc illas, hilares illæ mirentur ut iſtam,
Déque novâ aſſertæ gaudentes ſorte ſororis,
Oſcula, & amplexus videantur inire viciſſim:
Occurram votis. Noſtri fuit hactenùs Orbis
Margo tripartitus, quæ litora fervidus Auſter,
Frigida quæ Boreas, quæ roſcidus aſpicit Eurus,
Tergeminæ Dominatrices tenuere, tenentque.
Europen Boreas, Aſiam ſibi vindicat Eurus,
Auſter in arentem Lybiam dat jura Tyrannus.
Illa, vides, haſtâ, clypeoque inſignis, apertâ
Quæ tantum prodire ſinit de caſſide ſexum,
De reliquo cataphracta viriliter; illa vocatur,
Si neſcis, Europa, Magiſtra aſperrima belli:
Fortis ut ipſa, creat fortes, torvæque parentis
Semina qui ferimus, non degeneramus alumni.
Africa nomen habet quæ proxima, fuſca Virago
A majore die, magis ore nigreſcere juſſa,
Quòd plus lucis habet: documentum moribus affert
Utile, plus nimio ne ſis in munera largus,
Ingratos tibi ne facias, ſpectare coactus
Invitè tibi diſſimiles. Quòd ferveat æſtu
Idcircò ſterilis, ſed quàm ſteriliſſima frugum,

Et

Et raſtris minus apta coli, tam fertile Regnum
Jactitat in monſtris : quantúmque ſuperbiat iſtis,
Corporis à cultu fas eſt deprendere, dorſo
En Elephanta premit; colubros in cyclade veſtit
Squallentes auro, ne deſit pompa venenis.
Tertia de Nymphis quæ ſit, nè quærere pergas;
Et vittæ molles, facies & lubrica viſu,
Cinnama cæſaries, ſpirans opobalſama collum,
Eſſe docent Aſiam. Sed ab anguibus Africa quamvis
Bello Europa potens, hæc una potentior iſtis,
Utpote fœmineis luxûs quæ militat armis.
Hæ ſibi tres Dominæ partitæ immania Regna
Ventorum tenuere trium : tantummodo Nymphâ
Præſide, quæ Zephyro Regio eſt ſubjecta, carebat.
Jam ſimul & Zephyro rerum Moderator, & Auctor
Reginam dare conſtituit, Regnumque nec impar,
Sed dare, quod veterum vincat tria Regna Sororum.
Quove petenda loco pollens Matrona requiris?
Non procul eſt : Auria tuos hùc adjice viſus,
Sis ne recens meritura decus diadematis Indi
Quod Superi Tibi detulerunt, ab imagine diſce.
Paruit : inque illâ ſimul ac ſe novit eandem,
Demiſit vultus, impar ſibi viſa coronæ.
Tum pater Arviragus tollens ad ſydera palmas,
Nunc memini, exclamat, de Te mea Nata, quod olìm
Fatidici Cemes cecinerunt, affore tempus,
Maximus ex Oriente veniret ut advena Cubam,
Teque ſibi Uxorem legeret, tua nomina Cœlo
Insereret, cunctosque tibi ſubmitteret Indos.
Non eſt de Superis cur jam dubitemus apertè
Eventus prædicta probant. Tu maximus ille
Advena, teque Oriens miſit, tua dextera Natæ
Promiſſum dabit imperium; tantùmmodò reſtat,

Ut

It virtute redempta tuâ, Tibi Filia nubat,
Et gener Arviragi poſthàc patiare vocari.
Dixit, & ad cauſæ momentum plus valituras
Vocibus, adjecit lacrymas non arte petitas.
Motus ab his Heros, naturam ſenſit amantem
Velle aliud, quam quod Cœli præſcripta juberent;
Obſtitit, & forti tandem ſic pectore fatur.
Qualiacunque tui fudere oracula Cemes
Nè dignere fide, ſaxorum more locutos
Eſſe puta, ſua non capiunt, quæ verba remittunt.
Soli adeunda Deo vetiti caligo futuri,
Cujus & ante oculos corpus coaleſcit in unum,
Adſtat & ut ſimplex, natura tricorporis ævi.
Profert multa quidem, quæ ſunt incognita nobis;
Queis proferre tamen deliberat, eligit ante,
Eligit & paucos: ſemel & quæ protulit, extat
Verbis certa fides, & non mutabile verum.
Æquanimi nunc mente, tuæ de Conjuge Natæ
Qualia Terrarum Rector decreverit, audi.
Expletos nondùm Sol quinque rotaverit annos,
Cum Juvenis Tuſci generoſus origine Cœli
Adveniet, qui gentilis non claudier Arni
Contentus ripâ, marium mare poſtulet audax
Currere, perque meâ ſignatum pyxide callem:
Claſſem aliam majorem armis, majoribus auctam
Præſidiis, & merce, hæc ipſa ad litora vertet.
Signaque ne deſint, quam gentem devehit, & quo
Juſſus Rege venit, feret hæc inſignia velis,
Quæ ferimus, turres, picturatosque Leones.
Immortale viri prædiſcere forſitan ambis
Nomen? Americum ſublimis Hetruria dicit.
Hic à me cœpti curſûs extendere telam
Aggredietur ovans. Regna invia tempus ad iſtud,

Pacifico prætenta mari ſcrutabitur, hujus
Umbra Repertores omnes ſic obruet, ut quæ
Mox alii inveniunt, inventa putentur ab iſto.
Huic ergo Superûm Rex imperat, ut tua nubat
Nata viro : tanto quin ut de Conjuge nomen
Ducat Americæ, quæ nunc Auria vocatur.
Ipſe nec invideo, poſſet contingere quamvis
Nil optabilibus, tantæ quàm nubere Sponſæ;
At quia ſic placitum, qui temperat omnia, Regi,
Hæc ſit ut alterius, placitis cœleſtibus omne
Velle meum ſubmitto, & cedo libenter amores.
Dixerat. Obſtupuere Indi : reverentia crevit
Major & in verum Numen, quod Maximus Heros
Illius ut juſſis famuletur, ſubdere ſenſum
Auſterâ virtute queat; ſupráque putatur
Geryonis victi certamina, ponere frænum
Poſſe cupidinibus, tantáque carere Maritâ.
Indolet Arviragus ſoceri fraudandus honore;
Nec minus hoc conſorte tori fraudanda Virago,
Non auſi doluiſſe palàm, viſumque duobus
Penè nefas, Ducis eximiis obſiſtere dictis.
Ergo martialis ceù tunc data dextera dextræ
Inter utrumque foret; nondùm connubia facta,
Facta velut fuerint, plenâ canit India voce.
Nec mora : Fama canora, ſoror poſtrema gigantum,
More giganteo ſolita ingrandeſcere, corpus
Tollit humo aligerum, graditurque per aëra, quáque
Tranſit, Americam centeno murmurat ore,
Europæque canit Lybiæque, Aſiæque ſororem.
Protinùs audito Dominæ natale recentis,
In plauſus Aër, erumpere viſus & Æther.
Zonæ habitatores compto cum lumine vidit
Ad ſua tunc Ignes accedere limina Veſper.

Gra-

Gratari cupidos : cupidos gratarier unus
Quatuor è ventis Zephyrus tunc limen, & intrà
Ædis odoratæ, per & atria plena roſarum
Excepit volucres fratres, in veſtibus omnes
Gemmiferis, omnes umbratos tempora ſertis,
Lætitiæque locum indixit : ſi credere fas eſt,
Noctis & illius feſto ſub tempore, ſuprà
Et Cubæ Gœleſte ſolum, ſublimiáque aulæ
Tecta, quatergeminæ pulſus ſonuere choreæ.
  At quàm diſſimiles affectibus attulit iſtis
Fama eadem, Medaninæ cum venit ad arces,
Regis & Androphagi narratibus imbuit aures:
De ſpecie Auriam certantem Veſpere, próque
Dote potituram diademate cardinis Indi,
Externo nupſiſſe Duci, cum claſſe, virisque
Appulſo nuper locupletis ad oſtia Cubæ.
Ille, ut amans, tumidusque,& ad effera natus, ubi audit
Ceſſiſſe ignoto, ſibi pollicitos Hymenæos,
Mille abit in vultus momento temporis uno:
Palluit, infremuit, dubitavit, inhorruit, arſit,
Alſit, inops animi, deque ipsâ inquirere famâ
Num ſit vera, licèt metuat; tamen apparat ultrò
Exploratorem veri præmittere Cubam.
Impiger interea Canoas cogere, turmas
Scribere, finitimas acies accerſere, fixus
Extorquere armis quodcunque obſtabit amori.

# LIBER IX.

VULNERA Lethæo nondùm ſicca
verat amne
Eumenis Eumenidum; cùm nubis i
aëre fractæ
Aſſueto major ſonitus conterruit Or
cum:
Exiliit præſaga mali, manibusque recentis
Imbre cruoris adhuc madidis, convexa refregit
Alto impoſta ſolo, rurſumque reviſere Cubam
Suſtinuit, quo pulſa loco: technisque retectis
Non humilis furti patuit rea, ponere juſſa
Mendaces tonitrus, perſonatumque tridentem,
Et ſua legitimo geſtamina reddere Regi.
Ut ſtetit, & Nympham voluit quam perdere, Mundi
Jam ſcribi Dominam, magnumque in nomen ituram
Audit Americam; quodque altiùs urit, ovare
Virtutes Europæas Dea livida vidit;
Scindere & imperii molem, quam tempus ad illud
Fecerat eſſe ſuam jus immemorabile ſceptri;
Regna rapi in partes, & tanquam membra ſecari,
Acribus exarſit ſtimulis. Sic Armena tigris
Cum redit à paſtu, ſpoliatum forte cubile
Si catulis reperit, tùm calcar amoris, & iræ

Cor-

Corda ſerit : trahitur violenta, futuraque tigris
pſa ſibi, niſi contingat raptore potiri.
Non ſecùs ad raptus tot protinùs imperiorum
Egra Superſtitio furialia concipit auſa.
ſed quid agat, neſcit : vindictæ certa cupido eſt,
ncertumque genus. Toties improſpera bella
Cœlicolas contra prohibent ſperare, timetque
Materiam potius victoribus addere laudis.
Poſtquàm ſe paulùm ſcrutata, momordit & ungues,
Tandem mens nunquam non experrecta nocendò,
Suggerit inventum ; plauſit gaviſa reperto:
Terque manus inter feſtæ crepuere catenæ,
Terque colubriferi criſtam erexere capilli.
Nec mora : digreditur, repetitque citatior Euro
Limen Tænariæ nulli remeabile portæ.
Eſt propè Cocytum portis immane duabus
Antrum antiquum, ingens, quarum altera vergit ad
Ortum,
Altera ad Occaſum ; ſed & hæc quæ reſpicit Ortum,
Nocte dieque patet, nec limen deſes, euntes
Semper & emittit, redeuntesque accipit Umbras :
Altera, quæ ad Zephyrum convertitur, obvia nulli
Umbrarum, nullo valvas patefecerat ævo.
Is locus Europæ Vitiis Lybiæque, Aſiæque :
Implent informes ferrata ſedilia Noxæ,
Una omnes de lege, velut de matre profectæ,
Sed prohibente tamen ; deque his, quæcunque ſub
auras
Exit, rupto utero Matris ceù vipera, prodit.
Quodque magis ſtupeas, nudæ ſint corpore quamvis,
Pondus habent animæ, gravitasque tremiſcere terræ
Fundamenta jubet, centroque onerofa vel ipſi eſt.
Una omnes ſua pœna premit ; revolubile ſaxum

Hæc agit æternùm nitens, rota turbinat iſtam,
Imminet huic enſis, nullum ſine vulture pectus.
Huc ſimul ac per mille gradus deſcendit Erynnis,
Motus & intremuit calcato limine carcer
Adventum faſſus Dominæ; de ſedibus atris
Ocyùs aſſurgunt famulæ, pronoque fatentur
Ore, genuque Deam: cuperent dare thura, dedere
Thuris odorati ſupplentia ſulphura fumum.
Illa datis fruitur, nec qualia munera dentur,
Sed quo dent animo, tumido ſub corde volutat.
Ergo ubi, quâ potuit, blandita eſt horrida fronte
Turpibus ancillis, ſic exaudita profari.
  Hactenus, ò ſociæ, dominatûs gloria veſtri
Circumſcripta fuit, certoque coërcita fine;
Quòd non ſit vobis, niſi quò Virtutibus, ire
Ante datum: ille diu noſter, clauſusque Tonanti
Jam patet Occaſus. Vidi, vidi ipſa puellas
Adverſas Erebo, per & aſtra, mihique negatum
Æthera, cæruleâ in chlamyde, & candentibus alís,
Heſperiis equitare plagis, tunicisque ſolutis
Barbara Romani ſpargentes ſemina Recti:
Præcipuéque Ducem vidi agminis antevolantem,
Quærentémque, Crucem quâ primùm figeret arce.
Teſtor inane Chaos, ſusquè omnia déque revolvi,
Quò minùs intrarent; non jam penetraſſe reluctor:
Inſuper & lætor, quem nollem dicere, quemque
Deteſtans veneror, jubeorque coacta fateri,
Adveniſſe Deum; latam quin gratulor ultrò
Illius & legem: nunc ite, Indosque docete
Ire Deum contrà, legique obſiſtere latæ.
Quæ mala ſimpliciter fuit India tempus ad iſtud,
Impia erit poſthàc, & habebunt crimina pondus.
An latet, ô Divæ, cuncta inter gaudia, primam
Eſſe

Eſſe voluptatum, prædæ cum victor opimæ
Excluſo rivale venit poſſeſſor in uſum?
Certè ego ſub Manes inimicæ transfuga ſectæ
Ex Europæis quoties delabitur umbra
Non ſecùs intumeo, quàm qui poſt eſſeda victor
Monſtrandum digito Regem trahit: uſque adeò omni
Bellorum pompæ cervix præponderat una.
Ex Indis caſura minor ſit turba nocentûm,
Penſabit numeri damnum præſtantia culpæ.
Non eſt, per tonitrus ſibi cur ita plauſerit Æther,
Mutua quod geminus commercia junxerit Orbis:
Hæc mixtura novis cum gentibus, aëre, linguâ,
Dogmate diverſis, & Numine, flagitiorum
Non niſi portentis miris erit apta creandis.
Arentis Lybies ad flumina rara, ferarum
Conventum cogente ſiti, quis neſciat, in quos
Monſtrorum partus ſoboleſcat adultera ripa?
Forſan inexpertos Indos, hebetesque futuros
Creditis ad pravi documenta incognita? Curam
Ponite, ſi qua ſubeſt; vitiorum in gymnade nulli
Claudicat ingenium: quo præcedente magiſtro
Primus in Orbe Parens reus extitit? Hauſit ab illo
In pejus dociles fibras mens prona Nepotum.
Veſtrum erit informes animos, primique paventes
Horrorem ſceleris ſic arte juvare, magiſtri
Ut fieri mereant, vincique Europa queratur.
Fas nova Tartarei Brontes incudibus iſtis
Excudant tormenta, vetus non ſufficit Orcus.
Quin, ut proſpicio, carcer nimis arctus, & impar
Iſte futurus erit: confinia laxet oportet,
Extendatque novas ripas Cocytus, ut intret
Vectigal ſcelerum, quod ab Orbe feretur utroque.
At quid ego ardentes ſocias erumpere, longo

Demoror hortatu? mea cur & veſtra retardo
Gaudia? dimoveatur obex. Nec plura locuta
Vi quantâ potuit portarum ingentia clauſtra
Prenſat utrâque manu, mox impulit; alta metalli
Pugnavit rubigo, ſed imperioſa lacerti
Vis admota iterùm limen ſibi cedere juſſit.
Ut via facta, ruunt: præit alta Superbia cunctis,
Ut ſolet. Illi amens, præcepsque cupidine lucri
Hæret Avarities; præeat ſed ut omnibus Ira,
Luxuriam, Invidiamque premit, ventrisque Saginam
Quin & Segnitiem veſtigia pigra moventem
Inſequitur pugnis, & calcibus inſuper urget.
  Exierant ſontes animæ, ſolumque Duellum
Limine conſtiterat; nam dùm præcedere portæ
Certat in egreſſu, de paſſu & litigat omni
Trux juvenis, cubito impactus magis alitis Iræ
Abripitur, retróque dolens veſtigia torſit.
Ergo furens animis nunc huc, nunc æſtuat illuc
Aſper ab offensâ, nec ſe capit, atque per ora
Deſpumat rabies, & in iras ſurgit ob Iram;
Diſtulit egreſſum: jam cauſam judice ferro
Exacturus erat, legis niſi lator, & ipſe
Fœmineo cum Marte, marem certare vetaret.
  Nulla hac de furiis Erebi minor, edita partu
Conjuge Bellonâ proles, & Honore marito.
A Patre faſtum animi, ferri lethalis amorem
A Genitrice tulit, mores quoque reddidit horum:
Nam neque lac ſolitus primis haurire labellis,
Ubera inuncta forent niſi ſanguine, deliciasque
Humanæ cædis non præſentiſceret infans:
Obſequiique tenax idem, exactorque ſuperbus
Auſteræ nunquam ſurgebat ad oſcula Matris,
Ni delinitus titulis, cum vellet ab ii â

Non

Non tam matris amor, quàm matris gloria dici.
Par litis inde necis, faſtusque ſecutus adultum eſt.
Auſus & immites populis transmittere leges:
Turpe viro, offenſam tacitus qui præterit, hoſtem
Provocet, indicat pugnæ tempusque, locumque;
Sintque pares armis, ſuus & patronus utrinque,
Nè ſoli peccent, de Marte is judicet æquo.
Juſſi laceſſitus qui non deſcendit ad arma,
Nè ſit eques: famæ damnum irreparabile, tantùm
Poſſe reſarciri, ſi dedecus expiet enſis.
Inſuper inſtituit (quis crederet?) effera pugnæ
Gymnaſia, unde equites diſcant in vulnera dextras
Non afferre rudes, ſapienter & eſſe cruenti.
Et modo feſtinent paſſus extendere, nunc &
Stare loco; feriant, alióque ferire minentur;
Sitque latus lateri, converſus & enſis in enſem:
Hunc punctim, cæſimque rotent; nunc vertice preſſo
Decreſcant, nunc aſſurgant cervicibus altis.
Nec mora, nec requies furiis, niſi ſanguine viſo:
Qui ſimul ac patuit, tanquam Veneris panaceâ
Sit medicatus Honor, rabida arma repente reponant,
Complexusque petant; nil ſpectatoribus æquè
Jucundum, pulcrumque velut contingere poſſit,
Mutuus ex odiis quàm ſi naſcatur amator.
Idcircò ſcelerum ſuper omnia monſtra Duellum eſt
Audendi faber; illa quidem quod turpiter audent,
Turpe putant: tantùm putat hic peccare decorum.
Jamque catervatìm Vitiorum eruperat agmen
Secum aconita ferens, fabricandaque pocula miſti
Colluvione mali, corruptelâque bonorum.
In prædam effuſis nil obſtitit. India quantùm
Tenditur, occurrit latronibus obvia: Regnis
Deque tot ambigerent primum quod cuique legendũ;

Ni velut umbra ſequax humani eſt corporis, eſſet
Virtutis ſic culpa comes, ſed ut umbret eandem.
Guilibet hinc illo placuit decurrere calle,
Virgineis quo preſſa videt veſtigia plantis.
Illuſtris Limæ montes, queis nare ſagaci
Præſentitur odor prorumpere Mercurialis,
Intrat Avarities; nec inerti degere clauſtro
Flavum habitatorem patiens, irata bipennem
Extulit, & primo violavit vulnere maſſam.
Arſit avara ſilex, ſcintillaque fomite rapta,
Nutrimenta dedit venturo in ſæcula lucro.
Ex illo mare Pacificum nil noſcere doctum
Ante, niſi intextos virgis, & arundine lintres,
Concepit claſſes, indetonſiſque notavit
Montibus, ad Gades primo quæ tenderet alnum,
Unde ſuâ Europam de paupertate moneret.
Non ita Medeæ placuerunt Theſſala Tempe,
Herbas cum legeret, tremulum quibus Æſona rursùs
Cuderet in juvenem, viridique reponeret ævo;
Ut juga Floridæ jugi florentia vere
Luxuriam excipiunt: jam nunc hæc cogitat artes,
Ut doceat, quibus expreſſis à floribus undis
Indica poſſit anus mentiri ſæpe puellam.
In Paraquain vultus Gula verterat, utque
Vidit pingue ſolum, cui plurimus arbore in omni
Pſittacus hoſpes erat, paulùm defixa, ſalivam
Non tenet: harum avium linguis, & ſimplice ſumptu,
Sperat Luculli veteres ſibi condere cœnas.
Mexicon ingreditur gravis Ira, paludibus utque
Aſpicit in mediis ſtantem regaliter Urbem,
Geſtiit Adriacis ſimiles deprendere muros.
Sed dolet ignavas agere alta ſilentia gentes;
Attamen & fruitur, quam primùm inſtantia bella

Dum

Dum videt, & quanto Corteſius otia rumpet
Marte, Toletanis dum faſcibus aſſeret arces,
Captivumque loci mirabitur advena Regem.
At fera Cannibalûm loca, ſpeluncasque Duellum
Bellonâ comitante venit, loca plena timore,
Digna Thyeſteo fugiat quæ ſyrmate Phœbus.
Scilicet ante fores, velut ornamenta domorum,
Mortua pendebant hominum ramalia, putres
Cœnæ relliquiæ, cutis arida, quæque reliquit
Oſſa canina fames, & deſperatio dentis.
Hæc ubi regna ferox Juvenis probat, ore ſevero
Quo placiturus erat matri magis, illius ora
Adſpectans: noſtri quàm, dixit, idonea tellus
Ferre magiſterii primordia! mortibus an qui
Veſcuntur, mortem timeant? diſtringere ferrum
An pudeat Caribum dextras horrore retentas
Sanguinis humani; quandò is cratera coronat,
Et bibitur laudante gulâ? Dominatur abundè
Hìc feritas, ignava tamen, qualemque requiro
Nobilitate caret: fiant homicidia lætor,
Arte tamen gladii. Non ſanguinis improbo pulchram,
Quìn commendo ſitim, ſed & hæc dictetur Honore
Vindictæ cupido, non hortatore palato.
Actio quæque virûm culpanda, probandaque fine;
Sævitia eſt, ventri gladius ſi pareat: idem
Juſtitiæ laudem meruit, ſi protegat æquum.
Sed quid Honos, quid Eques, quid Equeſtria jura,
quid enſis,
Indus neſcit hebes: Me præceptore poliri
Agreſtes iræ doceantur, deque negatis
Rixari titulis, & nomen Honoris amare.
Utque rudimentum ludi præſtantis in omne
Tempus eat, cupiantque ſequi, diſcantque Nepotes;

 Indos

Indos inſtituat primus qui venit ad Indos.
Par quærendus erit : nec longè eſt iſte petendus;
Naufragio ejectus regionibus appulit iſtis
Nuper Fernandus : placet hunc opponere Patri.
Error utrumque tenet : Natum putat æquore merſum
Incolumis Genitor : Genitorem Natus obiſſe
Credit, & artificem latæ necis Alvaron eſſe,
Inſuper & patriis armis, & claſſe potitum.
Alter ab his, vel uterque cadat, digniſſima certè
Victima, quam ſuper imperii nova ſurgat Iberi
Fabrica : non alio quando fundamine niti
Regna novella ſolent, primi quàm ſanguine fabri.
Artis erit noſtræ juvenis firmare dolorem,
Occiſi Patris credatur ut Alvarus author.
Te penes intereà ſit Iberum vulgus, & ipſum
Inflammare Ducem, motamque à ſedibus imis
Arvirago cum Rege in prælia mittere Cubam.
Hoc mihi, uti meditor, ſi par committere detur,
Tunc Ego, tuque Parens proh gaudia quanta feremus!
Ambo hilares pulchrâ ferri novitate, juvabit
Publica Bellonam, cædes privata Duellum.
Dixerat : illa furens, cupienſque faceſſere prolis
Juſſa ſuæ, abripitur : quos & de more ſolebat
Digrediens dare complexus, oblita reliquit.
Interea Cubam non intermiſſa tenebant
Gaudia, proque Deâ terrarum præſide natâ
Nuper Americâ, certatim Hiſpanus, & Indus
Argumenta dabant animi felicia læti.
Uno fortè die diſcinctæ ut plauderet Urbi
Columbus, populumque rudem formaret ad arma
Ritibus Europæ, ludos celebrabat equeſtres:
Hiſpani aſſuerant coram quos edere Rege,

Tunc

unc cùm pax eſſet, ne primùm inviſa virili
enti deſidies, otî aſſuetudine blandâ
lox & amaretur; patriusque ſeneſceret ardor.
Urbe fuit mediâ cuneati more theatri
rea ſpectâclis accommoda, Patriciorum
erre capax & conſeſſum, turbæque minoris.
lìc modicè aſſurgens paries ex aſſere factus,
epis & in ſpeciem productus longiter, offert
alles parte ab utrâque duos; ſic inter utrumque
tat tamen, ut jungat ſimul & diſcriminet ambos:
Inde queant equites decurrere, dumque propinquant
rontibus adverſis, curſu experiantur in ipſo
rangere nobiliore loco qui doctior haſtam.
Omnia plauſus erant, ornant aulæa feneſtras,
erta vias, laurique domos, juvenumque, ſenumque
piſſum plebe forum tumidi maris inſtar inundat.
Tres aderant ſedes ſolii gemmantis ad umbram;
Arviragus lævam, dextram Columbus habebat,
Auria in medio. Si quis reminiſcitur horæ
llius, ad duram quâ Virgo miſerrima cautem
Juſſa mori, vivum vivens horrere ſepulcrum,
Præteritumque diem cum tempore comparet iſto,
Quo Regina ſedet tribus addita partibus Orbis;
Aſſerere haud metuet, profugi poſt lintea Theſei,
Poſt mala, poſtque metus expertos mille ferarum,
Sic Ariadna fuit: tunc cum meliore marito
Digna, capillatum Cœlo decus addidit aſtrum.
Inferiùs tres cenſores aſſidere juſſi
Quos penes arbitrium galeatâ in fronte receptas
Explorare notas, mox & decernere, qualem
E geminis Equitem plus fortunaverit haſta.
Jamque theatralis pompæ expectatio cunctos,
Præcipuè tamen ignaros erexerat Indos.

Cùm duo magnanimi pugiles erumpere viſi
Oppoſitâ regione fori, Rodericus, & Aſtor,
Ævo florentes ambo, Catalaunius alter,
Alter Aragonius: par lancea munit utrumque,
Ambo in equis, ambo ferrati à vertice adusque
Calcem, terribilis pariter, pariterque decori.
Patronus cuicunque equitum ſuus hæret, uterque
Dummodò commiſſi partes tueatur alumni,
Non dubitaturus ferro defendere litem.
Gratior ante tamen foret ut ſpectantibus Indis
Viſus nunquam aliàs equitumque, & comptus equorum,
Quique pedes venit ornatus circúmque retróque
Cum famuli, plus quàm Domini, laſcivit amictus,
Circũ obeunt: tollunt capita alta, jubentque gradatim
Vadere cornipedem, inceſſuque fatentur Iberos.
Pompa ſed in plateâ ter circumducta, quaterque
Ut fuit ad placitum populi, & potuere videri
Ipſa etiam ſatis ad ludum præludia ludi,
Signum expectantes fixo ſe carcere ſiſtunt.
Ecce autem belli primos motura tumultus
Nubifero axe ſedens Cubam veniebat Enyo;
Utque haſtas, ut vidit equos, & caſſide clauſos
Stare palæſtritas in mutua vulnera pronos,
Subſtitit, inque forum furialia lumina torquens:
Quæ mihi nunc facies ſe ſe, inquit, amabilis offert,
Votum etiam ſuper omne meum? ferre arma parabam,
Invenio: ſtimulare viros erat impetus, adſunt,
Pugnandique odere moras. Quod diſplicet, unum eſt:
Luditur, & belli potiùs ſimulacra geruntur,
Quàm bellum; ſed ne feſtæ diſſentiat Urbis
Lætitiæ, fiam de ſpectatoribus una.
Ne tamen & ſedeam ſpectatrix lenta, parabo

Qua-

ialia conveniant oculis ſpectacula noſtris.
io fruor, & terris quod nondum fulſit in iſtis
c ferrum video : ferri ſeges orta nocendo eſt;
ferit, atque animâ venas depauperat omni,
ne caret. Strictas hìc fulgere gratulor haſtas;
pudet eſſe leves, & honore vacare nocendi.
ir non præfixum geſtant in acumine ferrum?
ir fatuum ſpirant, & non meruere timeri?
ignandum ſolidè : modò quæ mentitur inertem
radivum, largo mihi ſpumet arena cruore.
electant aures non vulgi ſibila noſtras,
pplauſusque dati: prurit mihi gratiùs, æſtus
udire irarum, miſſos è caſſide fractâ
ingultus, habeantque ſuam ſi vulnera mortem,
qua gerenda viris Me ſpectatrice, gerenda
Iulla vel eſt, vel ſi geritur, ſit maſcula pugna.
Vix ea dicta, tubam manibus capit; inde canorus
nte daret claro tubicen, quàm carmine ſignum,
Occupat officium : præit ipſa, cavoque metallo
ntonat. Intremuere omnes; nec clangor inanis
ubſtitit intra aures, ſed eodem tempore factos
Accepere ſonos aures, & corda favillas.
Spiritus idem etenim qui ruperat aëra, junctim
Polluerat, pacique inimicum afflarat amorem.
Ante alios, quo jam moroſo in carcere ſtantes
Prompti equites, ut erant vigiles ad ſigna, parabant
Pondere ludicras haſtas, & ſumere veras;
Cornipedes vetuere, videlicet igne recepto
Naribus è patulis propriumque vomentibus ignem,
Non expectatis calcaribus, ocyùs Euris,
Ocyùs & jaculis & adacti fulminis alis,
Seſſores rapuere : volant, qualesque feroces
Tauri in bella ſolent adverſis cornibus ire,

Mutua

Mutua ſic iſti ſe contra haſtilia curvant,
Cominùs ut venere, trabalem dirigit haſtam
Alter in alterius galeam; non ſuſtinet æris
Fraxinus occurſum: diffinditur, ictaque centum
Scinditur in partes, centum micuere favillæ.
Nec minùs alipedes Dominorum exempla ſecuti
Cruribus arrectis, opponere cominùs auſi
Pectora pectoribus, planè colliſa fuiſſent,
Obvia tentatos vetuere repagula ſaltus.
Immoti perſtant equites, & ſede tenent ſe;
Quisque ſuum opperiens recipit Patronus alumnum,
Inde manu emeriti geſtantem fragmina trunci,
Ducit ad examen. Nova res hìc orta miniſtrat
Materiam rixæ; nam cùm defertur, & æquo
Sub cenſore cadit ſignatæ caſſidis ictus,
Neſcio quo caſu virtus æquaverat ambos:
Nec Judex deprendit, uter præceſſerit utri.
Ergo victorem neutrumque, & utrumque fatetur,
Debeat & palmam ſi lancea prima mereri,
Ludicra fas iterum repetatur ut alea, clamat.
Talibus auditis, quoniam furiale venenum
Pectora combiberant, deciſis æquiter actis
Stare negant Equites, dedignaturque viciſſim
Alter par dici alterius; ſine more, modoque
In terram labuntur equis: tum caſſide demptâ
Indolis ut Rodericus erat, tumidæque, trucisque
Aſtorem verſus flammantia lumina volvens,
Incipit effari: quem fecerit haſta priorem
In dubio eſt, agedùm cauſam definiat enſis,
Si vir es; & quid Judicibus conſulta petuntur,
Jus quando melius, gladiique tribunal habemus?
Poſcant res aliæ conſultum judicis, eſto;
Lis ubi de famâ eſt, ſi non ſententia velox

Fer-

ertur ab offenſo, tunc arbiter omnis iniquus.
Quæritur è nobis qui fortior; ille duellum
Componat, primus quicunque jacebit arenâ.
Quamvis ut fatear, ſeu ſit virtutis habenda
eu generis ratio, non es fæx ultima tanti,
Qui cum ſi certem, mihi ſit certare decorum.
Torvus ad hæc Aſtor: non abnuo reſpondere
Quo-vis-cunque modo, ſoleoque libentius enſe;
At modò plùs ſolito lætor decernere, poſtquam
Te tua lingua mihi temeraria fecerit hoſtem.
Non eſt cur altâ tumefactus origine, jactes
Vane Toletanis deducere Regibus ortum;
Nam vel mentiris, vel ſi tua gloria vera eſt,
Surculus illuſtri de palmite degener exis.
Muneris inſtar habe, quòd te vel Marte jocoſo
Suſtineam perferre parem: nec ſtemmata nobis,
Nec tituli deſunt, quibus oſtentator avorum
Ambitioſus eam; ſed ab his accerſere lucem
Me pudet. Iſta frequens jactandæ gloria ſtirpis,
Si benè perpendas, vexat magis omnibus illos,
Qui plerumque carent; quà tantùm glorior, hæc eſt
Nobilitas mea prima, manus. Nec plura profatus
Crura ocreis nudat, pectus diffibulat, inde
Sublato mucrone, gradum convertit in hoſtem.
Stabant Tutores gemini: nec turpibus actis
Ut decuit, poſuere modum, gladiisque paratis
Conciliatrices auſi interponere dextras;
Quin ut erant ambo tacti lue pectus eâdem,
Promovere nefas, primúmque obliquus Arubal
Verſus ad Enriquez ſermonibus increpat iſtis:
Ergo juventuti tantùm permiſſa poteſtas
Edere, quid gladii valeant! mirentur & Indi
Quàm virides virtute ſenes Hiſpania profert.

Plus

Plúsne aliquid ſperare potes longo ſatur ævo;
Quàm ſi canitiem præclaro fine corones?
Fer grates Superis, periture quod æquore, terram
Jam teneas, dignamque viro quod denique morte
Sortiri à ferro, & ferro merearis ab iſto.
 Nullum invitamen noſtras ita vellicat aures
Reddidit Enriquez, quàm quod denuntiat arma.
Tun' mecum! cuperem poſſes afferre juventam,
Prætextu ætatis mihi ſic æquandus ut eſſes.
Verùm animum quando capiunt faſtidia lucis,
Et tædet vixiſſe, gravi te faſce levabo,
Ne dubita, & forſan citiùs quàm rebere; poſthàc
Ne tibi, ne roſtris pergas onus eſſe carinis.
 Dixerat: incaluere genæ, pariterque comarum
Aſſurrexit apex. Qualis delectat, & unà
Terrificat, cùm viſa procul, ſimul igne coruſcat,
Tergoribusque pruinoſis ſimul albicat Ætna;
Talis ab offenſa ſenis arſit ut ignea bilis,
Pulchrior in niveis apparuit ira capillis.
Stare quatergeminos enſes in vulnera pronos
Cuba tuebatur; ſed rerum neſcia, quamvìs
Territa, ludorum genus hoc tamen eſſe putabat.
Illi inter ſe ſe jam dudùm exordia pugnæ
Sævirer aggreſſi, geminabant ictibus ictus;
Nec modò de palmâ contentio principis haſtæ,
De rude vel dandâ: ſola eſt de ſanguine pugna.
 Accurſus, clamor, ferri ſtridorque, nitorque
Columbum monuere; ruit, ſolioque relicto
Enſemque attollens, atque horridus imperiosâ
Nube ſupercilii: quæ vos, exclamat, Iberi
Transverſos agitat rabies! ubi jura, fidesque
Reſpectusque Duci? Feſta inter gaudia, Rege
Meque palàm, gladios diſtringitis? uſque adeonè
Cre-

Crevimus in turbam pauci, milesque redundat,
Exceſſum minui noſtris ut oporteat armis?
Pugnaces ſervate animas: regnate volenti
Nunquam erit, ut belli penuria deneget hoſtem.
Ísne duellantes comittit honoris? at errat
Quilibet è vobis, per ferrum ſanguine fuſo
Si credit, læſi ſanabile vulnus honoris.
Quin nota dedecoris venit è medicamine pejor;
Jura ſodalitii dum frangitis: idque patratis
Bellum, in quo longè meliùs, quàm vincere, vinci eſt.
Sacrilegas cohibete manus, has inter adactas
Fraternis odiis medium Me pono ſequeſtrem.
Si furere eſt animus, ſcelus & conſumere, majus
In promptu eſt; ſontes in vos quos ſtringitis enſes
Arcete, inque Ducis jugulum convertite veſtri.
Vox auguſta viri, præſentiaque ignea, nullo
Tempore non ſociis grata, & venerabilis æquè,
Profuit, ut nondùm pollutum ſanguine ferrum
Siſteret, hærerent dextræ, facinusque retectum
Vultibus in tacitis, pudor objurgaret, & horror;
Non tamen ut gliſcens intrà præcordia belli
Deflagraret amor. Quamvìs jam deſinat eſſe,
Qui prior hoſtis erat, pulſusque è corde Sodalis
Jam redeat, ſe ſeque oculis fateantur amicos;
Sicca tamen renuit vagina recondere ferrum,
Et capuli ſtringuntur adhuc, cupiuntque ferire
Quem tamen ignorant. Sic momentanea torrens
Cum fluvii capit ora, viam ſi fortè ruenti
Occludas, non frænat aquas, non confraga ponit
Murmura, ni violens alium ſibi fecerit alveum.
Haud ſecus illa inter ſocios malè ſana furendi,
Preſſa quidem ſitis eſt, ſed non deferbuit: æquam
Cauſam odiis donec fortuna objecit, & hoſtem

Muta-

Mutavit, belliſque arſit melioris amore.
  Scilicèt hinc animis, atque altercantibus illinc
Ecce Viri facies inopina, ſtatura gigantem
Arguit (horrendum viſu!) de gente propinquâ
Cannibalûm monet eſſe, recenti ſanguine ſtilians
Guttur, & à patriâ piceus ferrugine vultus,
Monſtrifero capiti par comptus: grandia terga
Dentibus humanis torques conſertus obibat,
Gutturis in pompam velut oſtentare tumeret,
Quot dentes, totidem eſſe homines in ventre ſepulto.
Diloricatæ Balænæ corpore ſecto
Armabat maxilla manum: vice ſi foret hujus
Clava, ſuum Alciden mollis jactaret & Indus.
Therodomon hic eſt, legati nomine raptìm
Miſſus ab Androphago, cum primùm rumor ad aure
Pertulit, Auriam externo ceſſiſſe marito.
Illius ergo truces furias, lamenta, minaſque,
Inſuper & bellum raptâ pro conjuge defert.
Utque erat indoctus fandi, violentus, acerbus,
Aſper, inurbanus, non (ut mos poſtulat) orat
Admitti coràm; conferta per agmina præceps
Irruit, Arviragumque petit tot millia contrà
Unus, & inſultans, tanquam ſibi ſponſa negetur.
  Ergone, clamavit, Caribum tua Filia Regi
Pacta priùs, ſcandet prædonis nupta cubile?
Nec te jura movent? nec noſtra potentia terret?
Quin etiam ludos hæc ad ſponſalia demens
Inſtituis, cum finitimi tibi ſimus, & iſthinc
Rivalis poſſis fremitus audire mariti!
Perge frui, quam primùm alios tibi ſpondeo ludos;
Nec puto te lateant, Regum timidiſſime, noſtræ
Sanguine de veſtro ſolitæ pingueſcere cœnæ.
Retroactis pejora time mala, ni citò turpis

Hinc abeat procus, Antrophago reddatur & uxor.
Hæc ubi dicta dedit, cirum fert lumina, cernit
Præ reliquis extare virum de gente novellâ:
Eſſe Ducem putat hunc, & erat, quem fortè putabat.
Nec mora, torvus in hunc à Rege minacia torſit
Lumina: tu ne, inquit, temerarius advena, penè
Ejectus pelago, Cubæ vix limina tangis,
Et regnare paras? connubia ſcindere Regum
Navita pannoſus, chlamydatus & appetis ire?
Quis furor eſt, qualisque in amore ſuperbia demens,
Ut faſtiditis, tua quas dat terra, puellis,
Trans mare ſepoſitos tantùm ſecteris amores;
Nec Venus æqua tibi, niſi Regia! tam petulantes
Undè animi? Quòd Cuba DEUM te credula dicat,
An maris alga tumes? At non ita lubrica credas
Pectora Cannibalûm: nullos aut ſuſpicor eſſe,
Aut ſi Cœleſtes ulli meruere vocari,
Nos ſumus, aſſueti ſpatii quos ampliat ultrà
Cancellos natura viros, hos illa putavit
Et dignos, qui cuncta regant, cunctisque ſuperſtent.
Aſpice ſim quantus: licet unó à corpore totam
Diſcere progeniem. Tun' vilis homuncio ſtabis
Nos contrà? Vivus laniabere dentibus iſtis:
Inde minutatim ſectus mergeris in alvo.
Metire hunc noſtro pendentem pectore torquem;
Dentibus his poteris numerare quot ipſe voravi
Arviragi de gente viros; jam carptus edaci
Temporis à carie putris eſt, pudet amplius uti.
Eſt animus veterem exuere, & veſtire recentem,
Deque tuâ primùm texam, mox cæde tuorum.
Hæc fatus, ferale humeris inſigne removit,
Deìn frendens jacit ad plantas Ductoris Iberi.
Jam dudùm infandi capitis compeſcere linguam

Ille revolvebat tacitus, vetuiſſet & enſe
Plura loqui, niſi Legati Perſona fuiſſet
Pro clypeo; cui pauca refert: hinc bellua cede
Cui poſita in ſolo Mavortis gloria ventre.
Turpe viris bellare gulâ, ſolisque reliquit
Hæc natura feris ratione carentibus arma.
At quoniam Androphagi delatum nomine bellum
Auſus es Hiſpanis, Cubæque indicere Regi;
Hæc illi referas: veniat; niſi venerit, ultrò
Nos fore venturos: Auriam pectore mittat
Dignam aliis thalamis, & non Cyclope marito.
His ſuper indomiti violentia Therodomontis
Acriùs infremuit, fotaſſis & illius ora
Dentibus appeteret, ſi non foret unus in omnes,
A turbâque premi, ſed non virtute timeret.
Improviſa loco dat terga, retròque minatur.
Ut Lupus admoto quoties arrexit ovili
Impáſtum guttur, ſi latratore moloſſo
Rupta quies ſtabuli, paſtoriaque arma reclament;
Deprenſus furti, ſua per veſtigia latro
Veſpertinus abit: neſcis quid acerbiùs urat,
An timor, an rabies redeuntis inaniter alvi.
Tunc & ab Hiſpanis bellum clamatur, & Indis;
Tela reponuntur definitura Duelli
Jura ſupervacui: calor æmulus intrat in omnes.
Fronte quis Androphagi lethaliùs imprimat haſtam
Aut tua, Therodomon, convicia vindicet enſe.
Et curru, velut è ſpeculâ, proſpectat Enyo
Prima rudimenta irarum, fruiturque videndo
Orſa laborandæ telæ bene vertere fila.
Anxia ut abſolvat tamen eſt; Cubàque relictâ
Urget equos aliò: conſuetaque tempore nullo
Parcere ſævitiæ, ſedeat ne pigra Quadrigæ
Sarcina, in alipedes ſtimuloque, & verbere ſævit.
**** LI-

# LIBER X.

PERFER & obdura, quoties conſtanter iniqua
Vulnerat, atque novo Fortuna ſupervenit ictu.
Sæpè etenim ex illâ, quâ nigrior impendebat
Turbo timendorum, radiavit parte ſerenum:
Ancipites Mundi moralis origine primâ
Sic vertente vices, ut nullo tempore deſit
Quod poſſit ſperare miſer, felixque timere.
Quot mala Fernandus non pertulit? æquor in altum
Deciderat; dubium, num fluctibus integer hauſtus,
An ne rebellantum Comitum foret obrutus armis:
Omnibus à ſociis certè defletus, & intrà
Creditus Orcarum lethalia viſcera nullus.
Res aliter, quàm quod viſum contingere, ceſſit;
Namque ubi navigio excuſſus, vitalis & auræ
Uſurâ caruit (quis crederet?) altera merſo
Attulit arbor opem; truncum quæ ſcilicet imo
Fixa ſolo, contràque attollens brachia fluctus,
Mobilitate maris mediâ velut Inſula ſtabat:
Nulla ſenectutis diſpendia, nulla coloni
Arma reformidans, circum gaudentibus amplâ

Luxurie humoris crebri pingueſcere ramis.
Fama eſt poſthabitis ſatyrorum mille choreis;
Paſtorumque jocis, patriique penatibus antri,
Ruris amatrices, fontanaque Numina Nymphas
Per loca ſenta ſitu, vacuæque foramina Terræ
Ad conſanguineam contendere ſæpius umbram,
Viſere præcupidas formosâ Doride Natas,
Sortitasque ſuis contraria Regna ſorores:
Hic celebrare choros, elementi & diſparis unà
Collatis epulis ſociales jungere menſas;
Ipſas namque Deas exlex quandòque cupido
Vellicat, in vetitum niti: ſapiant veluti plùs
Gaudia, cum pretium facit interdicta voluptas.
Atque hic forte aderant, cùm bellatoris Iberi
In vada delapſi facies inopina refulſit.
Os, habitusque viri claro fulgentis in ære,
Et rabiem ſpirantis adhuc, perſtrinxit aheno
Fulgure non aliter timidarum lumina matrum,
Ac Erebi exangues olim tremefecerat umbras,
Abſorptus cum Thebanæ telluris hiatu
Vivus adhuc, curruque ſedens, ſtimulansque feroc
In curſum Amphiaraus equos, apparuit ante
Atropon, illi auſam nondùm reſcindere ſtamen.
Terga dedere fugæ, celeri formidine pulſæ
A Fauno genitæ, glaucoque Palæmone Divæ.
Non tremefacta fugit de tot tamen una puellis
Nerine, trabis æquoreæ fidiſſima Præſes;
Sed miſerata virum, munus quod præſtitit olim
Mater Ariſteo greſſus impune ferenti
Perque lacus clauſos ſpecubus, lucosque ſonante
Hanc illi properavit opem ſata Tethide Nymph
Scilicet & latè fluctus diſcedere juſſit,
Montis & in faciem cumulos curvavit aquarum.
Exin-

Exinde multis, per quas acceſſus ad udas
Nereides ſolet eſſe habitantibus antra Napæis,
Tempus ad id cunctis clauſam mortalibus unam
Cratem aperit, juvene admiſſo, mox oſtia claudit,
Ne ſuper effuſum tegeret mare concava clauſtra.
Ipſa abit, aſſuetum repetunt freta concita curſum.
Redditus ille fuit nondum ſibi, neſcit ubi ſit,
Naufragus inter aquas fluitet, lateatne ſepultus
Ventre feræ, vitamque alieno in corpore vivat.
Utque fidele ſolum reperit, tutumque putavit
Figere poſſe pedem, per iter caligine merſum,
Defoſſosque ſpecus graditur, timidisque tenebras
Prætentat manibus, paſſu ſuſpenſus in omni.
Cum Patre de famâ ut Genitus contendere quiret,
Dixeris arcano Superorum munere factum,
Ut Mundum ſibi dividerent; deprenderet alter
Quod ſuprà eſt: alter terræ quod clauditur infrà.
Ergo viæ multum poſtquam confecerat, ecce
Turbida lux primùm procul effulgeſcere, quò plus
Progreditur, magis atque magis clareſcere, donec
Rupis in egreſſu defæcatiſſimus aër,
Et miro patuit candore notabilis ædes.
Hìc locus, hìc ſedes, hìc ſunt conclavia Divæ,
Nomen Alethiæ, Veri cui copia fecit.
Vidit ubi hanc juvenis, quamvìs non viderit unquam,
Quæ foret ex ipsâ, quam cernit Virgine diſcit;
Clamat & attonitus: Divarum maxima, jure
Ima colis, Solemque fugis, Cœloque relicto
Has mavis cryptas, ubi res velamine nullo
Turpiter obtectæ ſplendent in ſimplice lanâ.
Nulla fides vivos inter, frons nulla pudori,
Vultus amicitiæ nullus: tenet omnia livor,

Omnia calliditas, dominandique ambitus effrons.
Plura locuturum ſic interpellat amica
Lux animi. De ſorte queri chariſſime ceſſes;
Ærumnis debes, quod te de ſedibus altis
His egere plagis, Veri luſtrator ut eſſes,
Illius & Veri, quod pleraque turba Sophorum
Naturale vocat, de quo decertat, & idem
Qui Mundi, quoque finis erit certaminis hujus.
Quòd rerum cauſæ lateant, hinc error & omnis
Caligo mentis: tibi ſe primordia rerum
Cum dederint noſcenda palàm, quod tempus ad iſtuc
Fas hominum nulli fuit internoſcere, noſces.
Dixit, & invitat juvenem propioris ut ædis
Intret in hoſpitium: nemo fidentior unquam
Hoſpes ad ignotum movit veſtigia limen;
Extima frons etenim cum redderet intima, nullum
Eſſe locum fraudi cryſtallina tecta ſinebant.
Captus amore loci, Dominæque affatibus ille,
Sex menſes, multòque magis genialiter egit,
Quàm penès æquoreæ circumflua prata Calypsûs,
Orbus nave, viris, armis habitarit Ulyſſes.
Nec mora longa quidẽ viſa eſt: data tempora menſæ
Et data ſunt etiam parco ſua tempora ſomno;
Utraque damna tamen redimebant pabula mentis
Illum etenim interdùm ſpatiatum clara Virago
Ducit ubi ingentes conchæ ſpectantur aquarum.
Vagire hìc amnes, & adhuc in fontibus audit
Igne geluque ſatos nuper, paulò antè vapores:
Qui ſimul elati flammâ interiore, ſupernas
Convexi ſenſere nives, vix frigore tacti
Non ſecùs in latices abeunt, ac ire jubentur
In guttas, quoties vitri pœnalis ad ignem
Exſudant, animæque breves cruciantur Aprilis.

Et modo ventorum ſtridentia cernere clauſtra,
Dat modo flammarum, cumque utraque proderet,
inquit:
Flammas, & ventos in vincla coërceo; non hos
Æolus, ut falsò reris, non ejicit illas
Subditus Enceladus, cùm Numinis ultio ſontes
Admonuit pœnæ. Tunc ô! tunc ipſa favillas,
Saxorumque recuſantes ergaſtula ventos
Libero, quique fragor penetralibus editus imis
Deſuper immugit, vox ſubterranea Cœli eſt,
Horrendum inclamans mortalibus, ultima rerum
Ne plaga, plus ſolito ſcelerum gravitate prematur.
Seſſor uti crebrâ capitur novitate theatri,
Seque videns verſæ transferri munere ſcenæ
In lucos ex aulæis, non gaudia falſis
Falſa capit, nec triſte putat paulò ante videndum
Elyſium quæ ſcena dedit, ſylvamque Cytheræ,
Mox Rhadamantæum pandat ſi verſa tribunal:
Uſque adeò capiunt oculos nova, grataque ſemper
Advenit, in pejus quamvìs mutata voluptas.
Sic ne Fernandi ſubeant faſtidia mentem,
Diva ſagax viſis interſerit horrida blandis.
Argenti, & chalybis cui poſtquam æraria plena
Protulit, edocuitque ſeges velut utraque duret,
Induat & varium glebâ variante colorem,
Montanum conclave petit. Lux exit ab antro,
Humanos oculos ſenſim quæ faſcinat; & ni
Provida Dux, Recti ſparſiſſet balſama, pravis
Acceſſumque cupidinibus quemcunque negaſſet,
Lucro Fernandus poterat geſtire reperto;
In quem fida Comes ſuaſoria lumina flectens
Subdidit: Idoli illius cui tempus ad iſtud
Vana ſuperſtitio ſtatuas, & templa negavit,

Quòd de corde ſuo vir quilibet extruat aras
Vile ſolum patria eſt. At tu nè temne metalli
Indecores cunas, quàm primùm exibit in auras
Altaque magnorum tinget laquearia Regum.
Diſce hinc, non obſtare viris ignobile tectum,
Quò minùs emergant: pretium virtutis habeto
Intrà te poſitum, Famæ donabere templo.
Dixerat, inque alia ex aliis ſpectacula tendunt.
Ultima theſauris de tot telluris opertæ
Viſere reſtabat ſeducta caloribus antra,
Deque ſupercilio crebras ſtillantia guttas:
In glaciem cogit latices ubi dædala bruma,
Quos, ne concreto lapideſcant corpore, mites
Temperat in gemmas vis imperfecta rigoris.
Dulcis ab auſtero venit ut ſua gratia pomo
Parte ſui mediâ cum jam maturuit, acrem
Nec ſatis excoxit ſuccum penetrabilis æſtas.
Quò ſimul ac veniunt, veſtita per atria muſco,
Perſpicuoſque gelu muros, arcuſque nivales
Mille modis ſpeculorum aderant diſcrimina: quædam
Pictos admittunt flores, documentaque præſtant
Humanæ ſortis non omni ex parte beatæ,
Quòd ver perpetuent oculis, ſed odoris egenum.
Cumque ſit egelidæ dos præſtantiſſima lymphæ,
Reddere ſpectati ſimulacra fideliter oris,
Mentiri quædam multâ cum laude jubentur:
Grandia diminuunt, minima ingrandeſcere cogunt,
Vicinas removent res, accerſuntque remotas.
Atque hîc candidior longè Dea candida rebus
Quas docet, effari ſic incipit: otia ſemper
Non alit, ut credis, nec pendet inutile pondus
Fœmineis manibus deterſi lamina vitri.
Interdum docet illa viam, quæ ducit ad aſtra

Unde, velut gradibus, terris pupilla relictis
Tollitur, aërioſque perambulat ardua tractus:
Tuta magis, quàm ceratis qui credulus alis
Sydereum ſignavit iter, docuitque ruinâ
Non homini licitum vetitos tranſcendere fines
Oblitoque luti natalis in aëra niti.
Dixerat, & niveâ ſervatum detrahit arcâ
Datque videre tubum, rubri vagina papyri
Quem circumambibat rutilantibus aſpera gemmis;
In lentis faciem cryſtalla latentia ſervat
Intus, & in parvis ſibi ſuccedentibus aptè
Contrahit orbiculis, natura quod ampliat extrà.
Mox ait: hoc ultrò noſtri tibi pignus amoris
Donarem juvenis non aſpernabile munus;
Sed viſum Superis opus ut cœleſte, novumque
Proferat Hetruſcas Galilæus primus in auras;
Hujus ope audebit, quod ſe vix poſſe Tonantis
Fida fatetur avis, viſus intendere Soli,
Et nævos culpare, docebit & eſſe vapores
Sæpè paludatos aſtrorum more cometas.
Quin magnum adjiciet lateri Jovis incrementum.
Latiùs extendens famam terræque, polique.
Utraque pars Mundi poſthac jactantior ibit,
Luce planetarum quod creverit amplior Æther,
Terraque Mediceis quod nomina fecerit aſtris.
Finierat; requies paucis conceſſa diebus
Utque fuit, juvenemque videt doctiſſima Virgo
Ulteriore ſitim cupientem extinguere Vero,
Talibus alloquitur: Naturæ arcana latentis
Sit tibi nunc libaſſe ſatis; magis ardua ſcitu
Jam reſeranda manent, fallendi ſcilicet artes,
Inſidiæque, dolique vafer quibus Orbis abundat,
A quibus, ut meritò quereris, deceptus & ipſe es.

Sub ſenſus quodcumque cadit, ſat ſenſibus uti
Ut noſcas, ſed ut iſta ſcias impervia mentis
Humanæ figmenta, fidem tibi demere prorsùs
Fas oculis, nullique minùs, quam credere viſis.
Hæc ait, impoſitoque comis velamine terſi
Velleris, antetulit greſſum: non impare paſſu
Hic præcedentem ſequitur. Licèt invius eſſet
Callis, & ætherias quoniam referebat ad auras,
Arduus aſcenſu, doctis ſermonibus illa
Mollit iter, durumque negat ſentire laborem.
Ut convexa ſuper tandèm venere, refulſit
Ilicet Urbs, eademque procul pulcherrima viſu.
Ex Apennino non ſic apparet Hetruſco
Undique circumfuſa ſuis Florentia villis;
Non ita Threjicio venientibus æquore nautis
Fronte tripartiti proſpectûs obvia ſe dat
Urbs Princeps, Urbes inter digniſſima credi
Ipſa etiam à magno quiá condita Cæſare, Cæſar;
Qualis ad has aſpectus erat gratiſſimus ædes.
Urbs ut pulchra, ſimul via pulchra ferebat ad Urbem
In declive tamen flexus tam lubricus, ut cum
Pes eat in præceps, ſe non intelligat ire.
Porta erat ante oculos bipatentibus obvia valvis
Noctes atque dies; portam ſuper imminet arcus,
Et monet intrantes, carmenque legentibus offert:
*Hac iter ad Verum; diſces hic plura, Platonis*
*Quàm vigil ad platanum totum ſi Neſtora vivas.*
Legerat & verſum, pariterque expenderat hoſpes;
Tunc mirabundo ſimilis: dic optima, fatur,
Index iſte loci titulus, monitorque ſalubris
De Vero nùm vera monet? ſi florida viſu
Semita, ſi doctrix delectat, & erudit unà,
Quis fieri ſapiens, quis eam calcare recuſet?

Cor.

Corporis illecebræ ſunt, quando viatica menti,
Utile miſcetur dulci, parvoque paratu
Et licet, & fas eſt in Palladis arce locari.
Vix benè quæſierat, reddit cui talia Virgo:
Amplior in falſum ſemper via, ducit & illuc
Hæc paritura roſam paſſu quæ ſpondet in omni.
At quia nemo ſciens errorem amplectitur, in ſe
Ducat ut errantes, in Verum ducere dicit;
Non iter ad Falſum velut eſt, ait eſſe, nec eſſet
Mendax, ſe quando mendacem diceret eſſe.
Atria, tecta vides Urbis præbentia formam
Non inconinnæ, & ſpeciem ridentis amicùm
Si ſapis, infidæ properes ne fidere fronti,
Omnia gypſus habet, nebulisque ſimillima crede
Aëre depictis, Tempe quæ Theſſala ſæpe,
Sæpe figuratos ſimulant Babylone tapetas,
Intùs fulmen alunt, ſuſpectaque tela colonis.
Amphiopum locus hic, nec & hos ita crede vocari,
Quòd geminos uno geſtent in corpore vultus,
Ambiguo quales appingit fabula Iano;
Extima ſed facies quia diffidet interiori,
Altera & alterius ſic frons à fronte repugnat,
Corporeas Ironias ut vivere credas.
Cautus ut hos fugias, non ut ſecteris oportet
Noſcere; deteſtanda licèt, vitandaque ſemper
Sint mala, notities non eſt vitanda malorum.
Quanta ſit, & lateat gravitas in crimine, nemo
Numine plùs novit, plùs illo nullus & odit.
Hæc ait, & pariter loca conſita fraudibus intrant;
Vixque pavimentum plantæ tetigere doloſum,
(Mira fides!) cœpit tellus contraria vero
Dicere: pes redeat, veſtigia monſtrat euntis:
Procedat, redeuntis habet: nec diſſona ab illis

Eſſe

Eſſe vident, pecus Herculeum quæ fixa reliquit
Cum ſua Aventinum vulgarent furta latronem.
Paulùm progreſſis Mæandri tortilis inſtar
Limpidus objicitur ſinuoſis flexibus amnis,
In mare qui rapido nunc gurgite fertur aquarum;
Nunc, quaſi pœniteat, vertit retrogradus undas,
Obſtat & ipſe ſibi venienti: credere poſſes
Diſcere mentiri, quâ præterlabitur Urbe.
Pons erat impoſitus, pontem ſuper ex alabaſtro
Effigies, omnes Graji molimine ſcalpri,
Aſtûs fœminei celebres & ab artibus omnes.
Ante alias, infida minùs, magis omnibus audax
Alcidæ Conjux Iole mendacia prodit.
Auſa Cleonæi pellem geſtare Leonis,
Armaque debilibus non reſponſura lacertis.
Colchis poſt illam, ſpeciem ridentis, & unà
Os donantis habet, manibus fert aurea nuptæ
Galbana: dona cave, flammas in cyclade claudit.
Tyndaris ut blandùm ſpirans occurrit Atridæ,
Fauſta decennalis brumæ poſt bella reverſo!
Veſte tegit gladium, noctu ſparſura cruorem.
Adversâ ſe fronte vident & fronte ſerenâ
Utraque perfidiæ celandæ callida; Phædra
Perdat ut Hippolytum, Sthenobæaque Bellerophontem.
Ore, jocisque procax, cultu confeſſaque Patrem
Apparet Circe, ſed non in divite virgâ:
Horretur mala fertilitas, quæ monſtra theatris
Mille daret, dare monſtra capax miranda vel Afris.
Tale decus pontis; pontem prope fœmina cultûs
Eximii, nec dote minus præſtabilis oris,
Nixa ſuper cubitum, defenſaque palmite myrti,
Viſa brevem mediæ ſomnum captare diei.

Gor-

Gorgone ceù viſâ obriguit Fernandus : & ò quæ
Exclamat, ſpecies! Europæ plurima vidi
Oppida, non Italæ tantum ſpatiator arenæ;
Sed fateor vel pace tuâ, mea patria, noſtri
Nunquam alias oculi tanti meminere decoris.
Expecta paulùm, ſubriſit Diva, videbis
Cujus in obtutu capitis præconia perdas;
Iſtius an mereant contendere labra pyropis,
Ora Tarentinæ decertent æmula lanæ,
Æquent colla nives, bigæ Titanidos aurum
Fluxerit in crines, tituli ſint denique veri,
Quos dat adulatrix in láudem prodiga ſexûs
Muſa, perinde metris mendax, ac fœmina formâ.
Dixerat, & veli partem ſeducit ab ore,
Deque oculis patiens minimum prodire nitoris,
Percuſſit juvenem, velumque repente reducit.
O ſuperæ mentes, noſtràque à fæce remotæ
Materiæ, veſtræ proh quanta potentia lucis!
Penè admota virum tetigit ſcintillula, raptim
Lumina purgavit. Qui poſtquam à Virgine Divâ
Ad commendatæ rediit ſpectacula Nymphæ,
Reſpexit, puduitque ſui : quam viderat ante,
Crediderat que Helenâ dignam certare Lacænâ;
Hanc Hecubam reperit: momento temporis omnes
Defluxiſſe roſas, laudataque lilia cernit.
Averſantem oculis canos, maciemque cutemque
Strigoſæ vetulæ, tùm Diva redarguit : illa hæc
Fœminea eſt ſpecies, de quâ bellatur, & in quam
Collimant juvenum ſuſpiria, fœdaque ſæpè
Vota ſenum, quam conſpiceres cum primitùs ipſe,
Eſſe tot es viſus de delirantibus unus.
Scire cupis, nequam mulier, verique decoris
Indiga, decoctæ damnum reparare juventæ

Quâ

Quâ ratione queat? geminam circumſpice ripam
Prætereuntis aquæ: minio rubet altera, candet
Altera ceruſsâ, petit hoc cataplaſmata cœno,
Unde genas jubeat revirere December anilis.
Nil tamen efficitur lotâ cute: quin ſibi damno
Viſcata eſt facies, rugas citat, atque placere
Deſinit ante diem nimis anxia forma placendi.
Arte carens ſpecies, Divini particulam oris
Quæque refert, annis non eſt obnoxia, vernat
Jugiter, inque dies augeſcit, & aucta redundat
Non ſecus in corpus, quàm quæ propè Numine viſo
Mens fruitur, ſenſus extra jubet inde beari.
Vix ea, prætereunt pontem; Regina viarum
Auguſta hinc illinc picturatis apothecis
Excipit intrantes, mercesque emptoribus offert.
Non tot in Adriacâ vicus ditiſſimus Urbe,
Exponit merces utroque ab Sole petitas,
Hic quot habet ceruſſati tectoria Recti.
Falſores operum, corruptoresque bonorum
Si numerare velim, dicam, quot in horrea parva
Formicæ frumenta ferant, cum tempore verno
Non reſides, animo ſpectant hyberna ſagci.
Conſuit hic tumidos illorum de genere utres,
Quos Laërtiadæ dedit Æolus, implet eosdem
Laudibus immodicis, & quæritur emptor in Aulis.
Lemniaco longè ſolertior ille magiſtro
Exiguos hamos elimat, & inſtruit eſcâ,
Ut majora datis, per munera, munera captet.
E tereti phialas vitro pars extruit amplas,
Inde coloratâ circumlinit iride, ſolo
Aëre quas complet; ſed & hæ promiſſa potentum
Inſincera docent, & inania pondere verba.
Heu miſeri! Dominis qui ſub fallacibus iſtis

ubdunt colla jugi patientia; ſumere tandem
'ræmia pollicitis dum reſpondentia fidunt,
mpleviſſe vident, implent quas Belides urnas.
Texere nonnulli veſtes, pelleſque laborant
'alpatu molles, Phrixei dixeris agni,
Aulicus occultat quibus ora ferina Lycaon.
Pars auro pateras, gemmis committere lances
Pars ſtudet; unde patres decepti munere blando
Ditis amicitiæ, ſectos in fercula natos
Damnentur cœnare, bibant aconita Nerones.
Quid magis excelſum Sophiâ dabis? invenit aſtus
Hanc tamen ut ſimulet; paſſim venalia pendent
Pallia, perſonæque imitantes ora Sophorum,
(Quis credat?) vel Cecropiis accita Lycæis;
Ora Heracliti jugi manantia fletu,
Ora ſenis Samii linguam teſtantia mutam,
Socraticumque ſupercilium, maciemque Cleanthis.
At non hùc locuples multo ſale, fervidus idem,
Nec metuens à nocturnâ pallere Minervâ;
Emptor at accedit Mida ſæpius, ut videatur
Pittacus, & ſe Margites pro Crantore vendat.
Arte quid egregius bellandi? nec tamen hujus
Artis adulter abeſt; turpes belli Ganymedes
Hoc ſæpè emporio galeam mercantur, & haſtam:
Sat ſibi blanditi, modò ſummâ de cute fortes
Introrsùm Patrocli, coram fateantur Achillem.
At perſona diù rarò tenet, & citò facta
In morem redeunt: fac decretorius enſis
Venerit ad capulum, quem frons habituſque ferebant
Æaciden, timidæ produnt Actæona plantæ.
Dumque ita Fernandus ſine corpore corporis umbras
Inſpicit, ingeniumque hominum miſerabile culpat

Fictis

Fictis velle frui, Veri quaſi copia deſit;
Ecce foro in magno facies aſſurgere templi
Viſa: decora, ingens, & quales barbara quondam
Dicitur Ægyptus, tales attollere Cœlo
Pyramidum moles, & virgatos obeliſcos.
Conſtitit hìc hoſpes, vultuque in Virgine fixo:
Extima ſi ſpecies adeò præſtabilis, inquit,
Intima qualis erit? Qui Jupiter, & Venus, & Mars?
Ingrediamur, ait tunc Virgo; & limine preſſo
Vix introgreſſi templum (proh turpe relatu!)
Fœdior ex omni brutorum plebe tenebat
Aurum, marmor, opes, altaria Cercopithecus.
Subriſit juvenis; ridenti Diva reponit:
Rides jure, foris quod tam formoſa ſit ædes,
Tam Deus informis, propter quem conditur ædes.
Larvata hinc diſcas, quid præſtet Hypocriſis; extra
Præfert Penelopem, ſub pectore Thaida condit
Relligione quid eſſe poteſt auguſtius? hujus
Mercata Endromidem, procedit Hypocriſis, effrons
Tantò plus, quantò virtute in Principe mendax.
Eſt oneroſa quidem Regalis ſarcina tergo;
Dummodò decipiat, pietati & debita veræ
Præmia ſurripiat, leve ſit geſtare, quod odit.
Pejor & hæc ideo reliquis falſoribus: omnes
In Numen peccant: in Numen abutitur iſta
Numine, quò credi pia poſſit, ut impia perſtet.
Dixit: & egreſſi templo luſtrare parabant
Cætera, quæ facies Urbis gypſata tegebat;
Ecce ſub introitum qui venerat obvius, idem
Obvius arcus adeſt, & idem quoque carmen habebat.
*Hac iter ad verum.* Fernandus ut aſpicit, hæſit;
Veridicamque Ducem paucis interrogat: ergo,
O Dea, curriculo tantum profecimus iſto,

Ut quo dimiſit nos porta, referret eodem?
Cui Virgo: quicunque erroris tramite fertur
Hoc habet, ut ſpatii quò plus putat eſſe peracti,
Hòc agat ille minùs: nil proficit, idque docere
Fixa pavimento poterant veſtigia, quæ cùm
Huc caperemus iter, ſpeciem redeuntis habebant.
Tu modo notitiam rerum per utramque probatus,
Verum diſce ſequi, tantóque libentius acrem
Sectandis animum virtutibus adjicias, quò
Qui malunt non eſſe, boni voluere videri.
Jamque vale, magnosque metus nil poſſe, ferendo
Prode: ut inoffenſum pridem tutela ſub undis
Te mea ſervavit, poſthàc per & aſpera terræ,
Et per iniqua maris pariter ſervabere ſoſpes.
Hæc effata, comis feſtina removit amictum.
Ut nudæ patuere genæ, ſimul ipſa, ſimulque
Cruſtata ex oculis evanuit Urbis imago.
Tecta ubi conſtiterant venalibus ante ſuperba
Mercibus, Amphiopesque alienâ pelle decori,
Hùc migrant piſces, ſubitumque ſupervenit æquor.
Frænato Delphine ſedens apparuit extans
More equitis, mediis Fernandus inobrutus undis.
Tres noctes, totidemque dies maria invia circum,
Fidum vector onus dorſo portavit amico,
Cannibalis donec jam tandem exponeret oris,
Hiſpanisque novum donaret Ariona faſtis.
Hunc ad arenoſam diſtentum litoris oram,
Eque relaxatâ proflantem caſſide ſomnum
Aſpicit armiferâ prognatum Matre Duellum:
Et videt, & gaudens horam veniſſe cupiti
Temporis, Orbe novo coram, quâ denique poſſit
Enſe duellantem patri committere natum;
Protinùs induitur vocem, formamque Columbo

Aſſimilem, nec qualis erat, quæ viſa timeri,
Atque eadem irato vel ab hoc hoſte jubebat amari.
Signa ſimul cædis manifeſta recentis habebat,
Signaque naufragii: rorabat ſanguine pectus
Stillabantque comis pluvii veſtigia fluctûs.
Tum ſic affari: noſti chariſſime, noſti
Nate patrem? ne quære manum quæ vulnera fecit.
Alvarus, è ſociis mihi charior omnibus unus,
Alvarus impreſſit; ſatis & non eſſe putavit
Perfidus, ingratus, clandeſtinuſque ſatelles
Demiſiſſe neci corpus, ſpoliavit & armis:
Et quaſi celari cum corpore crimina poſſent,
Indeploratum dejecit puppe cadaver.
Te quoque, ſi neſcis, atrox pirata parabat
Addere perfidiæ cumulo, penitùsque revulſam
Ab radice domi fortunam extinguere noſtræ;
Servatus ni fortè fores, ut filius hæres
Et claſſis, necis & patriæ contingeret ultor.
Nunc Cubam tenet ille, meique laboris honorem
Cui te nutribam, ſibi turgidus arrogat Indos.
Quid quod & in pretium cædis, feret hic diadema
Latro, crucem meritus, Regis cui filia nubet,
Ut modo fama refert Caribum circumſona terras.
Si qua tibi pietas, ſi tangit & ulla cupido
Laudis, ab eximio non degenerare parente;
I Vindex, pactosque toros intercipe: Regni
Hujus adi Regem, prædonem profer Iberum
Exceptum Arvirago regaliter: adde quod iras
Aggeret, huic natam jam deſpondiſſe maritam.
Non feret offenſam prælati conjugis unus
Hic de mille procis, tantique petitor amoris:
Læſus ut eſt, & amans, pro conjuge bella movebit.
Huic comitem te junge, merebere Regis amorem,
Si

Sì te odiſſe viros videat, quos oderit ipſe.
Sacra ſodalitii neu frangere jura timeto:
Hiſpani fregere prius, contraque ſodales
Ante rebellantes, & Te decet eſſe rebellem,
Jamque vale, ſed & ora prius quam chara relinquam
Nunquam aliàs repetenda Patri, cape pignus amoris.
Hæc ubi fatus, in amplexus properabat; at ulnas
Injicit ut collo, coit & dum pectore pectus,
Se, furiasque ſuas, fibram diffundit in omnem.
Mox fugit. Ut vidit fugientem: quò bis adempte
Chare fugis, clamat, quamvis mihi ſquallidus adſis,
Non minus idcircò gratus: ſequar ipſe fugacem,
Quo te cunque loco abdideris. Veſtigia jamque
Moverat in curſum, cum membra ſoluta ſopore
Evigilant, ſed adhuc oculis vigilantibus, umbra,
Quærit, ubi Patris eſt; patris umbra mearat in umbras.
Ebullire odium tamen alto in pectore ſentit:
Alvarus ante oculos, illum laniatque, feritque
Mille modis, rabieque ſuâ dolet eſſe minorem.
Qualis ab exeſi librata cacumine montis
Expectat rupes, dederit qui juſſa ruendi,
Vis ne gravis Boreæ, caries an longa ſenectæ;
Quâ vi cunque ruat, cum decidit, obvia quæque
Frangere amat: nil in præceps ſemel acta moratur,
Quòd fractura ſuam ſit ſe ſuper ipſa ruinam.
Non ſecùs & juvenis jam pridem de nece patris
Ambiguus; poſtquam falſi genitoris ab ore
Reſciit authorem, furit implacabilis, odit
Stare loco, jam bella cupit: ſi bella negentur,
Fixus in Hiſpanos omnes irrumpere ſolus,
Mille inimicorum per vulnera, quærere mortem,
Dummodo vindictæ compos vitam auferat hoſti.
Sed quò, neſcit, eat: nox turbida, ſemita nullo

Trita pede, incertos paſſus remorantur euntis.
Turris forte fuit ſplendens ad litoris oram,
Nec nautis, ut amica Pharus, ſplendebat & iſta.
Qualis at aërei collis de vertice carcer
Ruſticus inſtruitur vitiatis glutine virgis;
Talis & illa fuit: ſolum diſcrimen utrique,
Errantes volucres quòd pertrahit ille, trahebat
Hæc homines, ambæ propter convivia fraudes.
Perfidiæ Caribum ſimul, ignaruſque locorum,
Fert illuc greſſus, ubi lux intermicat, Hoſpes:
Utque venit, caveam muſcoſo pumice factam
Invenit, ingreditur; vix & promoverat unum,
Protuleratque, pedem, gravis halitus ecce malignâ
Prodit humo, quali tellus Campana laborat.
Proh vitium crudele loci! generare venena
Contenta eſt alibi, tellus erat iſta venenum.
Tacti prima ſoli juvenis contagia ſenſit;
At citò conatus veſtigia vertere retrò,
Non licuit: nam præcipitis violentia morbi,
In caput, inque animæ properatim ſparſa meatus;
Stare virum prohibet. Defecto poplite labens
Procumbit; ſed nobilior pars corporis intùs
Strata, rigeſcentes extendit ad oſtia calces.
Dumque ita Fernandus Lethææ pocula nondùm
Haurit aquæ, mumur ripæ ſed proximus audit;
Ecce nurus Caribum ſub amicæ tempore noctis
Cum face. cumque arcu, catuliſque ſagacibus, ire
Venatum ſolitæ, Dryadumque abrumpere ſomnos:
Antra propinqua petunt, & toto vertice ſupra eſt
Antevolans Vaſilinda gradu: caput infula velat,
Ore Deam, cui ſervit, habet: tantùmque nigrore
Plaudit Nympha ſibi, quantùm candore Diana.
Par color Ancillis Dominæ famulantibus, & par
Fron-

Frontis honos: ea pulchra magis, quæ nigrior eſſet.
Uſque adeò pretium rebus dat opinio, forma
Quæ placet hoc, meruitque probari, diſplicet illo
Sæpe loco: rarò invenies quod ametur ubique.
Ergo latebroſæ dum per divortia ſylvæ
Lucifugæ venatrices rapiuntur, & Urſum
Hæc petit, illa audet turbare cubilibus Aprum;
Sola feras Vaſilinda ſequi putat eſſe pudori:
Venatrix Hominum eſt. Contendit præpete curſu,
Turris ubi hoſpitibus fraudes nocturna parabat.
Quo ſimul ac venit, cernitque ibi degere prædam,
Gaudet: & ex Indis unum quia credidit eſſe,
Ibat, ut infenſam jugulo demitteret haſtam.
Facta tamen propior, telumque, manumque repreſſit,
Quippe videt juvenem peregrinæ munere formæ
Conſpicuum: quamvis areſcere morte futurâ
Jam tunc inciperet perituri floſculus oris,
Pallor erat decori, qualis ſolet eſſe hyacintho,
Aut violæ, primo Zephyri cum parta tepore
Dormit, ſeù tenera dormire videtur in herbâ.
Omnia mira quidem collaudat in hoſpite, nec ſcit
Quod genus hoc hominum, nec quâ tellure creatum;
Nam rudis armorum, quorum non noverat uſum,
Tam bene cumque eadem videat coëuntia membris,
Non diverſa putat, duo ſed confundit in unum,
Membraque, membrorum quæ ſunt munimina, credit:
Nec ſecùs inter ſe putat uniter illa ligari,
Naturæ nexu, quàm quo circumque, ſupraque
Arbos induitur, nec diſſidet arbore cortex.
Ignorat galeam, caput hanc putat eſſe; comantes
Neſcibat criſtas, criſtas putat eſſe capillos;
Munibat pectus thorax adamantinus, eſſe
Credidit ex illo conflatum robore pectus:

Et videt, & metuit ne ſit contingere tutum.
Audax facta tamen, plantas apprendit, onuſque
Semianime ex adytis graveolentibus extrahit antri.
Dum trahit, ille oculos tollens languore gravatos,
Aſpexit Nympham, visàque recondidit illâ.
Protinus egrediens acie morientis ocelli
Neſcio quæ pietas, Vaſilindæ pectora tangit.
Quam ſimul ac ſenſit: quis nunquam cognitus inquit
Corda prophanat amor? Quæ tot jam mille peremptis
Ante viris infracta fui, quæ lumine ſicco
Hoc vidi totis infectum ſanguine litus,
Hoſpite cur primùm viſo miſereſcere cœpi?
Cur non conficio? cur & de more cadaver
Non in fruſtra ſeco, ſectumque apponere menſis
Non propero? & ſapiat quid candidus advena guſto?
Sed breve delicium gula porriget: Hoſpite vivo
Plus fruar; & quæ non potero narrantis ab ore
Diſcere? quas Urbes, quos mores viderit, & quâ
Præſertim genitus terrâ, ſi terra vocanda eſt,
Nec Cœlum potius, tales quæ gignit alumnos.
Quid quod & effigies cum ſit bellantis in iſto,
Quàm Regi mihi germano nunc bella gerenti
Proderit, incolumis noſtro ſi munere vivat.
Servetur. Vix hæc ſecum, conclamat, adeſte,
Mox iterum, atque iterum conclamat, adeſte ſodales;
Præda reperta mihi. Vox exaudita vocantis
Sparſa recollegit furvarum examina Matrum.
Ut veniſſe videt: fidarum ò turba mearum,
In caſſes nunquam præſtantior advena noſtros
Incidit, albedo non Indum denotat eſſe,
Non hominem corpus. Caput hoc, pectuſque, comaſque
Dicite, in humano quis corpore viderit unquam.

An

An portentum hominis, data ſint cui lucida membra,
Qualia Pavonis ſunt pectora, colla columbæ?
Si monſtrum, partu minimè peccavit in iſto
Alma parens, adeò quæ fecit amabile monſtrum.
Quisquis at iſte tamen, certè non dignus ut eſca
Lancibus impoſitus ſuprà convivia fumet.
Vivat, & fluvio poſito non longiùs iſthinc
In nigra transformat qui candida, quique maligno
Tabificæ caveæ ſola eſt medicina veneno,
Tollite aquam. Dixit; mora nulla, ſalutifer amne
Extractus liquor, in pelvi mox clauſus eburnâ
Porrigitur Dominæ: tunc illa ex ubere tantum
Rore capit, quantum caperet cava dextera lymphæ.
Cùm tamen & medicos eſſet ſparſura liquores,
Ter remorata manum eſt, ne quas invita probabat
Ore nives, vitiaret aquis: facta impigra tandem
Excuſſit latices, morientis & abluit ora.
Quis credat? vultus mirandâ aſpergine tactus,
Protinùs ex niveo maculis inſcribitur atris;
Nec ſatis, in nervos, venasque ſalubris aquæ vis
Influit, occulto ſanguis torpore ſolutus
Huc meat, atque illuc, vitæque redintegrat uſum.
Non ſecùs ac caveæ ſuffimine Parthenopeæ
Exanguis paulò ante canis, mortique propinquus
Sentit ab Agnani ſtagno propiore ſalutem,
Non ſine ſolertis naturæ munere, ut eſſent
Pharmaca lethalis terræ vicina venenis.
Ergo ubi Fernandus ſibi redditus, & validum crus,
Inſuper expertus firmos & ſtare lacertos,
Surgit humo; ſed adhuc turbatus pectora larvis,
An ſit apud Manes ignorat: quem videt amnem,
Sit Plegeton dubitat: quas circumſtare puellas
Vultibus obſcuras, cum lampade, cumque ſagittis,

Proli ancillantes Cereris putat eſſe miniſtras.
Auctaque ſuſpicio eſt, clypeum tellure jacentem
Cum caperet, viſusque alios deprendit in ære,
Nec niſi mutatos fuligine credit Averni.
Attonitum monſtris qnem ſic affata Sacerdos:
Mentis inops quid miraris? (novitate coloris
Mirabatur enim) tibi, qui non obtigit ortu
Pellis honor nigræ, natura benignior hujus
Fluminis attribuit; parvi nè pignus amoris
Rere datum, gentis geſtare inſignia noſtræ:
Quæ niſi geſtares, non hæc tibi Regna paterent,
Albis interdicta viris, conceſſaque tantùm
Sacra Deæ ferrugineæ qui ſtigmata ferrent.
Intereà, ò famulæ, mentis quò nubila tergat,
Acrior & fiat reparatis viribus hoſpes,
Dignum Divorum menſis apponite nectar.
Juſſerat: incubuere operi non ſegniter omnes.
Concava pars effert argenti vaſcula puri,
Deque ſinu gelidâ vicini fluminis hauſtâ
Menſuram ſuper injiciunt: pars arida ligna
Lampade ſuppoſitâ ſuccendit, & excitat ignem.
Clauſus vaſe latex, ſimul ac ſentire calorem
Cœpit, & ad bullas præmittere murmura primas;
Tunc aliæ Cocolatis redolentia dona
Deſuper infundunt: virgæ mox tortilis orbe
Uſque adeò verſant arguta liquamina, donec
Delicias ſpumæ faciant, acuantque palatum.
Potus ut ad votum ſucceſſerat, arte magiſtrâ
Urceolo ingeritur nucis Indæ, cujus obibat
Circulus extremas argenti fuſilis oras;
Inde propinandus juveni datur: accipit ille
Spumantem pateram, quam vix admoverat ori,
Delinitus odoriferi dulcedine roris.

Non

Non citò deglutit, ſed ſorbillate perita
Quod ſapit, in longum guſtûs patientia differt,
Gaudeat utque magis, piger eſt ad gaudia ſenſus.
Qualiter Antæus tactu flaventis arenæ
Ibat in Alciden generoſior; haud ſecùs iſte
A Cocolatis jam pulvere firmior, acres
Senſit inaſſueto compleri robore venas.
In quem deflectens Vaſilinda benigniter ora:
Fare age nunc hoſpes, quod nam tibi nomen, an ipſe
Ex illis unus, quos Cubæ ad litora nuper
Fama refert veniſſe viros: quæ cauſa coëgit
Deficere à ſociis, noſtraſque adduxit in oras?
Tunc ille: ò utinam non eſſem, Virgo, ſed unus
Sum tamen ex illis: meruere hi dicier olim,
Et dixi ſocios, nunc hos averſor, ut hoſtes;
Utque ſcias famulum, quem poſſis ſæpe jubendo
Exercere, vocor Fernandus nomine, Patre
Nemo ſatus majore. Atque inter talia, paulùm
Subſtitit, & viſæ lachyrimis humeſcere malæ:
Quas ubi deterſit, flagrantior inde profatur,
Indecorem forti ne criminis argue fletum
O Regina, dolorem etenim ſub pectore clauſum
Invalidumque premi, per & os erumpere juſſum
Non mollis timor expreſſit muliebriter; intrà
Corda ſed ira latens avidiſſima cædis in illum,
Qui Patri poſtquam communem luminis auram
Perfidus eripuit, ratibus ſpoliavit, & armis,
Me quoque prædo rapax fato involviſſet eodem,
Ni ſors defenſum veſtras duxiſſet ad oras.
Nil tamen indoleo, quod iniqua per æquora vectus
Huc tandem appulerim, pejoraque fluctibus ipſis
Expertus veſtræ fuerim contagia terræ:
Quin mea delectant mala me; per & iſta venire

Ad Te quod miſero licuit mihi, munere vivo
Diva tuo, vita hæc fas ut Tibi ſerviat uni.
Qualis cera rudis, ſacri vel Numinis ora
Induat in ſtatuam, vel bellua fiat, an anguis
Ambigit, artificique expectat pollice ſortem;
Talis ego, Tua juſſa ſequi, ſeu proſpera rerum
Seu mala contuleris, facillis cœpiſſe figuram.
Deprecor hoc unum, per Te mihi vivere quand
Contigit, ad Regem per Te quoque copia fiat
Ire mihi: iratus (velut audio) congregat arma,
Arviragum, contraque rates Oriente profectas.
Nobilium Caribum fidis legionibus, oro,
Adſcribi merear: nulli magis agnitus hoſtis,
Quàm mihi, præcipuè caput, & Dux ipſe latronur
Hunc modo perdiderim, de me quodcunque lubet
Mox agite, igne coqui, ſectuſque nec horreo veſti
Apponi patinis: poſt deguſtata cupitæ
Gaudia vindictæ, levis eſt jactura ſalutis.
  Finierat; vultusque viri qui nuper ab undâ
Fluminis ater erat, motâ violentiùs irâ
Non ſecus exarſit, ferri quàm lamina candens
Forcipe corripuit quam de fornace Pyracmon.
Olli pacato Vaſilinda hæc reddidit ore:
Pone metus; clavum Regni qui temperat hujus,
Rex mihi germanus, cujus tibi ſpondeo mentem
Plus quàm forte putas facilem. Bellator ut ille,
Tu bellator ades: Tu patrem ulciſcier ardes,
Ille toros raptæ ſibi conjugis: odit uterque
Cum Duce piratas Cubana ad litora vectos.
Fas in amicitiam coëant, collimat eandem
In metam, quoties odium commune duobus.
Utque loci iſtius nuperrimus advena, noſtrâ
Scire aliquid de gente queas, ſim cujus & ipſa
Numi-

ſuminis antiſtes, cur & contermina Cubæ
nſula Cannibalis odium inſanabile ſervet,
t fera plùs quàm aliàs, nunc utraque diſſideat gens,
aucis expediam, primaque ab origine pandam:
)ulcibus alloquiis ſi nox aptiſſima, certè
Nunc erit apta magis, quoniam de Nocte loquendum,
)ixit, & ad murmur trepidantis leniter undæ
Ierbiferumque torum juſſis conſidere Nymphis,
e prope Fernandum locat, & ſic incipit ore.
Filia Nox Terræ, fertur ſine patre creata,
ʼuſca colore quidem Nymphe, ſed tanta ſub illo
ʼorma colore fuit, votis ut mille procorum
Jna petita foret: petit hanc magis omnibus unus
Ɔrmelecus Paſtor, ſed ſub paſtoris agreſti
Tegmine (quis credat?) pulcherrimus ille Deorum
Largitor lucis, formæque petebat Apollo.
Cur peteret, cauſa è multis erat iſta, quòd apta
Eſſe videretur diſcordia fœtibus; Uxor
Frigida temperiem ſi duceret igne Mariti.
Sed quid aget? nequeat cum Sol exponere Nocti
Vota, & verba palàm; genitricem Noctis adire
Deſtinat. In centro rerum librata ſedebat
Inter utrumque polum media, antiquiſſima Matrum:
Grandia de ſaxis ſtant oſſa, metallaque fibras
Interiora ligant: rugoſo in corpore partìm
Arida pellis erat, partim humida, duraque membra
Venti animant, venasque rigant vice ſanguinis amnes.
Neu calor ad vitam nutrimina denegat, intrà
Viſcera cuſtodit clauſum fornacibus ignem.
Ipſa immota manet, ſemperque exercet agendo
Immortalem uterum: natis è millibus alvo
Fingit nonnullos, alii circum ubera pendent,
Pars & adulta viget, neu ſucceſſore ſit orba,

Alte-

Altera dum proles extinguitur, altera ſurgit.
Convenit hanc Phœbus, nec amictu lucis honor
Ut ſolet eſſe, fuit; paſtoria vellera ſumit:
Sylveſtris non virga manu, non fiſtula collo
Defuerat, niſi paſtorem ſua forma negaſſet.
Quam ſimul ac adiit: forſan mirabere, dixit,
Alma parens, niveo lapſus quod tramite lactis
Ima petam Mundi, tanto de Cœlite nuper,
Hoſpes humi factus, deque aurigante pedeſter.
Cauſa viæ Nox eſt, Nox me de Numine fecit
Paſtorem, noctemque pati pro Nocte coëgit.
Moribus illa quidem fateor contraria noſtris
Me fugit: & quoties Orientis ad Oſtia Xanthus
Signa dat hinnitu remeantis ab æquore currûs,
Acta timore, petit contermina Manibus antra.
At bene ſi noſſet, non impetus iſte ſequendi,
Ut putat, ex odio eſt: amor eſt retinere fugacem
Qam vel ad uſque Stygem ſequerer, ſi pervia noſtri
Curribus, acciri paterentur Tartara Solem.
Nec quia naturæ diſſentiat æmula lucis,
Propterea indignor, ſed ob id mihi gratior illa eſt
Utque ego, præcipitis motu cum deferor Æthræ,
Nitor in adverſum, ſic par in amore voluntas
Ire renitentem contrà, nec velle volentem;
Quærere ſed potiùs nolentis amore potiri.
Ardua res amor eſt: plerumque ignobilis ille
Qui venit è facili, pugnax commendat amantes.
Te modo nè pigeat, ſi quid facundia Matris
Blanda poteſt, pectus non expugnabile natæ
Prætentare tuæ: faveas cur Solis amori.
Mille tibi cauſæ. Per Me tua parturit alvus
Fertlis in fruges; ullo neù tempore deſint,
Nunquam non adſum: nam nunc altiſſimus erro;
Nunc

unc propior, nunc obliquâ te lampade ſpecto,
terdùm rectâ, ſemper tamen. Adde, Sorori
uod tua Nata, meæ bene convenit: Æthere degunt
nanimes, fœduſque ineunt ſpendoris, & umbræ;
ur non & patitur conſortem admittere Fratrem?
tque repugnantem flectas, hæc nomine perfer
ona meo: dixit; cycladem mox porrigit, in quâ
aſcia Zodiaci duodenis aſpera ſignis
icta erat, utque addat cum donis talia, mandat:
æc tibi mittit amans Phœbus: ſi diligis aſtra,
ilige plus illum, per quem ſunt aſtra decora.
Dixerat. O tibi quas referam, ſuperaddidit illa,
rates Phœbe parens, quòd Te faſtidia Regni
on modo non capiant hujus pallentis, & imi,
anguine de noſtro ſed nec quoque ſordeat Hymen;
ttamen & vereor, timidæ ne pectora natæ
ffendat thalami nimiùm fortuna beati.
lla ne ſponſa volet radiati Conjugis eſſe,
uro intertextis, ſaturis & murice lanis,
Quæ ferrugineum viduæ præponit amictum?
At licet abnuerit, deſiſtam non tamen ipſa
re reluctantem contra: niſi pareat, omnem
Occludam quo ſe condat fugitiva receſſum.
Plura loqui voluit, ſed jam rubicunda roſarum
Atria Tithoni reſerarat pervigil Uxor.
Acceleremus, ait Phœbus: dum publica poſcunt,
Exuo privatum; poſtquam data munia Cœlo
Solvero, reſponſi cupidus tua tecta reviſam.
Vix ea, ſpe plenus diſcedit, & oſtia Gangis
Advenit: illum agiles nitidis in veſtibus Horæ
Divite cum curru, gemmantis & orbe coronæ
Excipiunt. Humilis baculum tunc ponit olivæ,
Sylvicolamque togam, ſolitoque accingitur auro;

Cum

Cumque maritales animo verſaret amores,
Plus quoque comptus erat: rumpit velociùs ind
Noctis amore moras, & in Æthera fertur apertu
Nox penè Eoi ſtridorem cardinis audit,
Præcipiti dat terga fugæ, ſparſosque vapores
Axe legens, ſecum mergendos æquore defert.
Inſtat amans Phœbus; fugit illa, nec hactenùs o
Iſte, quòd inſtantis vultus hæc ferre recuſet.
Ignoſcit timidæ potius, quod neſcia veri
Credat adhuc odium, non eſſe ſequentis amorem
Ergo ubi more ſuo tenebris comitantibus, intrà
Se Mox abdiderat defoſſa cubilia Terræ,
Nocturnæ requiem ſub luce datura quadrigæ,
Tunc Matri licuit ſibi quam commiſerat ante
Delius, arcanam natæ depromere flammam.
Cuncta refert, addit quantùm de Conjuge tan
Ipſa tumere queat, quantùm illi debeat ipſa,
Utpotè munifico frugum, ſegetumque parenti.
Denique fœmineam poſſes quod flectere mentem
Arjete murali quocunque potentiùs, offert
Munera, Solis iter ſtellatâ in cyclade pictum.
  Plura audire ferox ſoboles non ſuſtinet, iram
Colligit è dictis, prunæ candentis ad inſtar.
Atra prius facies fit torrida, deque gelatis
Crinibus, in rivos comptæ fluxere pruinæ;
Igneaque obliquans in Matrem lumina: Tu nè
Tu ne parens, inquit, tædas mihi conjugis hujus
Conciliare ſtudes, quo cum ſi vivere poſſem,
Vivere deſinerem! Juveni reſponſa petenti
Nomine dicta meo refer hæc: Cœleſtia curet,
Zodiacumque terat, nec ſe terreſtris amoris
Inquinet illecebris, non denego, ſydera nobis
Eſſe in amore, placent tamen hæc, at Sole remoto

Quin

uin his erudior, quantùm commercia Solis
ﬃciant, nimio cum Sole premantur & aſtra.
ſapit, errorem veſani corrigat æſtus,
t nè terrigenûm ritu deliret amantum.
rivato quæcunque viro committitur, illa
emper culpa minor; quò ſit conſpectior, hoc eſt
ejor ob exemplum: caveat peccare neceſſe eſt
lus aliis qui regna gerit; magis omnibus idem
Qui nitet, & ſua quem prohibet natura latere.
Hæc effata, manu pendentia vellera Matris
Diripuit, manibusque ſuis diſcerpſit, & à ſe
Abjicit, & preſſans pede proterit inde ſuperbo.
Tandem irata fugit, præſepiaque alta reviſit,
Unde ſtato poſſit ſibi tempore promere currum,
Aſtra per & ſpreto de Sole tumentior ire.
Hæſit ad hæc genitrix, prolis temeraria dicta,
Factaque condemnat, revoluto forſan in illam
Iſſet, ut obrueret, cum corpore, ſi reperiſſet
Quo caderet: poſtquam vice fletûs, currere fontes
Juſſit, & infrænes errare licentiùs amnes,
Arboreos ſcabro laniavit & ungue capillos,
Muta ſedet, tacitoque malum ſub pectore verſat
Zelotypus quodcunque poteſt inferre Maritus.
Ecce ſub obſcuro rurſum tractabilis ore
Phœbus adeſt, imæque ſubit penetralia Terræ.
Ut ſtetit, attonitæ ſimilem videt, anxius inde
Poſtulat, à Natâ quænam reſponſa tuliſſet.
Illa ſilet, proferre palam non auſa repulſam,
Oſtendit digito laceræ ludibria pallæ.
Omnis amor furor eſt: Tu collige, qualiter arſit
Phœbus amans, juvenis, ſed & hæc ſuper omnia læſus.
Reddita tunc menti lux eſt, ſe ſe odit, & horret:
Perfida ſolvet, ait, pœnas, expertaque Solem
Sen-

Sentiet oſorem, quem dedignatur amantem.
Plura nec his rabies ſinit addere; protinus à ſe
Paſtorale pedum projecit, & accipit arcum,
Fiſtula fit jaculum, capiti rediere nitores:
Poſcit equos, aderat currus, conſcendit, humoq
Abripitur, non Auroræ præmittere bigam,
Luciferique memor, nec de Gangeride portâ
(Ut ſolet) egreditur: via quæ vicinior, illâ
Temporius properat, ſubituſque intervenit aſtris
Ante expectatum ſimul hæc ſenſere calorem,
Qui medio ſolet eſſe die, ferre inſcia vulnus
Fulguris inſueti, properarunt æquore tingi.
Viſo Sole ſolet fieri quæ candida Luna,
Rubra fit, igneſcit, fratrisque reverberat iram.
Mox fugit, inſequitur Phœbus, tergumque fugac
Mille ferit jaculis: potuiſſent ſæcla timere,
Indefecturæ pharetræ nè tela deeſſent.
Frigore tuta ſuo licet illa excuſſa repellat
Arma DEI, præter morem quia fervere ſentit,
Et morem præter rapido qnoque concita curſu
In depreſſa ruit, currusque ad Tartara defert.
Invenit hic Ditem, cui conjux facta Tyranno,
Quidquid opum tellure latet, pro dote recepit.
  Finierat Vaſilinda: ſilens audiverat Hoſpes;
Cui ſuper adjecit: bella hæc utcunque ferenda,
Utpote cum Superis nullumque habitura cruorem
Par furor, & rabies hæres utrinque nocendi,
Cultores Superûm ſi non tranſiſſet in ipſos.
Cannibali Noctem colimus; quæ proxima nobis
Cuba colit Solem; pro Numine Natio pugnax
Quæque ſuo ruit in clades promiſcua, forſan
Sanguine de noſtro Diis irridentibus ipſis.
Grandibus ærumnis jam tandem imponere finem
Una

Ina reperta via eſt , Cubæ ſi Flia Regis
ives avis opibuſque, & multo ditior ore,
Juberet Androphago juncto mihi ſanguine Fratri,
entibus ambabus jucundus, & utilis æquè
ivaces inimicitias, & mutua bella
ompoſuiſſet Hymen, niſi inexpectatus ab Orbe
Hoſpes inaudito, miris cum navibus Indos
ntraſſet, pactoſque toros turbaſſet adulter.
uferre uxorem Androphago qui perfidus audet,
Quod tibi ſuſtulerit pariter non ambigo Patrem.
i veluti fidis, per Te cadet impius iſte
Raptor, & occiſo rivale, Cubâque ſubactâ,
Speratâ noſter Potietur conjuge Frater;
Præmia ne ſperes vulgaria: forſan & ipſe
Vivere contentus poteris non impare tædâ.
At quia non procul hinc domus eſt contermina; templo.
Tuque mari laſſus, nos à venatibus, illuc
Pergamus. Dixit: ſurgunt, repetuntque penates,
Exuviis nemorum dites; ſed in Hoſpite capto
Plùs gaudent, foribus quàm ſi præfixa ſuperbis
Prima Erymantheæ penderet fama Dianæ.

# LIBER XI.

QUALIS ad appulſum Veris prægeſti
arator,
Cum videt infanrem Cererem lacte
ſcere ſulcis :
Herba quidem tunc illa, ſed herbam
præcoce voto
Ampliat in ſegetem, jam Cancri prævenit ortum,
Grandia rupturas & cogitat horrea meſſes;
Talis apud Cubam viſis ſoboleſcere ferri
Primitiis, jam tunc animo Bellona videbat,
Qualia pugnarent veniens Pizarus in ævum,
Impiger & Cortes: Peruana, & Mexica bella,
Sperat, & ex illo fore tempus, ut India tandem
Falcibus, & ſaxis poſitis, nudæque ſagittæ
Ruſticitate, manum gladio induat, & prope pugnax
Emathiæ ſibi reſtituat, Trebiæque cruorem.
Ergo iter incœptum peragrat, loca pervia primùm
Tranſiit : utque faber non ultimus aſſecla magni
Tiphys, ab integro meditatus condere navim,
Sylvæ in conſpectu truncos examinat omnes,
Qui bonus antennis, qui puppis iturus in uſum,
Utilis & proræ, quæ ſtipite rectior ilex,
Pendeat unde habilis ſulcando ſarcina ponto.

Arbi-

Arbitra bellorum, ſic & crudele nocendi
Dum penes Antipodas parat ædificare Lycæum,
Quæ ſint fundando loca quærit idonea ludo.
Eminùs ignivomis videat de montibus unum
(Nam plures ibi ſunt) liquefactos faucibus imis
Volvere cum ſonitu lapides; hìc figere ferri
Deſtinat incudem, rudibuſque accire caminis
Cyclopes Ligures, qui præmunire laborent
Hactenùs ignaros loricæ, & caſſidis Indos.
Incuſtoditum, nec dum foſſore rapaci
Detectum, meliuſque latens appareat aurum;
Fomentum belli capit hinc, ſecumque volutat
Queis phaleris ornabit equos, quibus efferа tela
Diſtinguet maculis: quin & mutare cupiret
Hìc ſua, jam ſcabræ morſu rubiginis atra,
Et magis ad ſpeciem facientia ſumere, ſi non
Auro præferret madefactam ſanguine pallam.
Talia dumque agitat, curruque interſecat auras,
Quæ Dea ſit, qualiſque plagæ teſtatur eundo.
Polluit afflatu loca proxima; diſſita longè
Territat igne comæ: via fulminis ut ſolet eſſe,
Tranſiit unde vapor trifidus, veſtigia fumant.
Oppida prætereat; clauſas Diſcordia portas
Frangit, & è nido veterum procul acta domorum,
Turba volatilium dare terga jubetur Amorum.
Transvolitet montes; ſentit Sylvanus abacto
Frigore rugoſæ pellis, capita alba liquari
Stillatis nivibus, perverſoque impete in haſtas
Velle graves ornos, & abire in ſpicula quercus.
Venerat informes ſedes, impoſtaque ſummis
Cannibalûm Caſtella jugis: ubi maxima Regni
Madanina caput, medio circumflua ponto
Portum aperit, cratere quidem tranquillius illo

Nil videas; niſi gente loci prædivite ſolùm
Merce rapinarum plùs deteſtabilis eſſet,
Quàm fuit Autiphates, evitanduſque Caphareus.
Subſtitit hìc paulùm; nam dignum gurgite in illo
Quod ſpectaret, erat. Quot in Aulide viderat olim
Millia velorum, cum Græcia vile putaret
Europen Aſiæ longo committere bello,
Spartanæ pro luce comæ; tot ſtare Canoas
Hic videt accinctas, per & arma repoſcere pactam
Androphago Nuptam, perituram excindere Cubam,
Occiduaſque novis purgare latronibus oras.
Delectant oculos belli præludia: tædet
Differri bellum; ne tædia perferat ultrà,
Præcipitare parat. Circumfert lumina, quærit
Natus ubi; Natum feralis ad oſtia templi
Srare videt, crudos gaudentem paſcere viſus
Tabe loci: hoſpitibus ſiquidem paulò ante litatis,
Triſte rubebat humus, votivaque corpora poſtquàm
In ventres ierant (proh quæ præpoſtera gentis
Relligio!) ornamentum ædis præſigne putabant,
Semicruenta ſacris ſuffigere poſtibus oſſa.
  Hic ubi mirantem Juvenem videt horrida Mater,
Cædis relliquias, indignantemque quod enſis
Interfectorum fraudatus honore careret;
Dirigit alipedes illuc, vixque attigit ædem,
Exiliit præceps temone, datoque repente
In terram ſaltu, procurrit ad oſcula: monſtrum
Par in utroque fuit, teneri quod pignus amoris
Expreſſum labris daret hæc, & ſumeret ille.
Ergo ubi, quo potuit, blandita eſt more, modoque;
O mea progenies longè mihi charior, inquit,
Quàm ſua ſit Veneri, neque enim tua ſpicula turpas,
Leotus ut ille puer turbâ cum deſide, natis

Ad

Ad luxum pueris, & ad otia fluxa puellis;
Strenuitate pares equites, & laudis avaros
Eligis, his mandas ſpecioſa pericula: pugnent
Aut in equis ſclopo breviore, aut cominùs enſe,
Non niſi ſupremo dirimendam ſanguine pugnam.
Adde, quod exoſum nomen ſic Mortis inauras,
Ut quicunque duellando cadit, hic recubare
In Famæ templo, lectoque putetur Honoris.
Fingere quod voto nequii, jam contigit: ardet
Cuba, tubæque meæ jam pridem murmure mota,
Bella cupit, pacemque ſimul, lucemque peroſa
Diripit antiquis ſuſpenſa penatibus arma.
Nec minùs in bellum ruit auxiliaris Iberus,
Providus Androphagum contrà deducere ſecum
Armamenta novis populis factura timorem.
His oculis paulò ante tuli quæ gaudia! cum de
Turrigeris ratibus præcincta per ilia ſegnis
Trajiceretur equus; maris aſſuetudine longâ
Ille quidem ceu truncus iners, & corpore toto
Frigidus in Martem, pedibus vix preſſit arenam,
Inſtantis belli ceu præſentiret odorem,
Hinniit, inque novo deſcripſit pulvere gyros.
Nec novitate minùs ſuſpenſos terruit Indos,
Perculit ac Superos primus qui vulnere terræ
Venit, ab obliquâ meritus vel Pallade laudem.
Tu modò, quandoquidem Cubæ ſunt omnia prona
In bellum, ne Cannibalos patiare morari.
Sola mora in Rege eſt, non hic lenteſcit in armis,
Audito qui penè novi rumore Mariti
Finitimas raptim turmas ſub ſigna coëgit;
Ex Oratoris reditu tantùm anxius hæret,
Reſponſa ancipitis famæ qui vera reportet.
Cunctantem Androphagum, ſibi nec ſuadere potentem,

Ullum præferri è numero ſibi poſſe procorum,
Rivalis quanquàm deſcenderet Æthere conjux,
Aggredere, & placidi, quantum potes, indue vultum
Legati; dic Arviragi te nomine miſſum,
Affatus molles, verba excuſantia finge:
Neu pigeat cauſas adnectere, cur ſit adactus
Externo genero, pactam illi cedere Natam.
Oderis hunc eſto, ne largâ ornare timeto
Laude tamen mores & bello, & pacibus aptos.
Præſertim pugnata refer certamina nuper
Cum monſtro, Cubâ ſpectanre, tricorporis umbræ.
Si tamen & pulchros laudabis in hoſpite vultus,
Haud piger ulteriùs feret otia: nemo videtur
Non ſibi formoſus ſe judice; vel ſibi Cyclops
Arriſit, ſpecularis aquæ ſpectator ad oram.
Audiet in ſpecie cum ſe rivale minorem
Rex ferus, & vanæ tumefactus imagine formæ,
Credito, calcar equo ſubdes, oleumque camino.
Ocyter ignavo torpentem litore Claſſem,
Avanam ſuper effundet. Nos, tuque fruemur
Surgentis tirocinii fœlicibus orſis.
Nunc ſperanda ſeges noſtrorum larga laborum,
Se poſtquam Heſperio ferrum advena miſcuit auro;
Ferrum extrudet opes, mox & bellabit ob ipſas,
Finierat; dictis non averſata parentis
Deterior ſoboles: & me quoque fervidus, inquit,
Urit amor, quamprimùm oculis expandere ſeri
Veſperis, hac nunquàm ſpectatum parte duellum.
Cum patre committam natum; tenet error utrumque:
Occubuiſſe pater natum, natuſque parentem
Autumat. Ergo Indis cum primum Hiſpana ſagittis
Arma maritabit Gradivus, & imbuet horror
Inſcia corda, novumque mori Bombarda docebit;
Men-

Mentis erit noſtræ tenebrarum furva, virûmque
Sic aperire globos, ignarus ut incidat enſem
Alter in alterius: per mutua vulnera ferrum
Arte manûs duci videant, mirentur & Indi,
Et diſcant cum laude mori. Decerpere noſter
Tartarus an potiora poteſt ſolatia; quàm ſi
Qui primi reperere, rigarint ſanguine terram,
Attulerintque nefas, quod viderat India nunquam,
Prolis ab enſe patrem, prolem patris enſe perire?
Dixit, & in medio matrem ſermone reliquit.
At ferus Androphagus jam dudùm vulnere famæ
Saucius, accitis ad regia tecta Dynaſtis,
Talia vociferans rabido dabat ore; putares
Fauce hominis, non humanos erumpere queſtus,
Sed Siculo clauſum tauro mugire Perillum.
Naſcitur Arvirago quænam fiducia? nondùm
Cladibus edidicit, terrâ, pelagoque receptis
Perfidus, his manibus quàm non indormiat haſta?
Unum aliquem potuit ne mihi præferre procorum?
Si famæ ſtandum; latronem prætulit, à ſe
Quem procul abjecit tellus ſua, quemque nec ipſe
Pertulit Oceanus: ſed tanquam putre cadaver
Exoſus, Cubæ ſpumantibus expuit oris;
Huic aulæ patefecit opes, huic obtulit aras,
Huic dabit Auriam? ſpes & cum conjuge tantas?
Quid parat infami genero? me pellere forſan
Sedibus, & ſolii matricem ponere Cubam?
Excidet à votis, ſi talia cogitat amens.
Diſpeream; caput infandum niſi rictibus iſtis
Dilaniem, niſi nautarum quoque ſemen in omne
Sic animadvertam, monimentaque tanta relinquam
Nobilium irarum, doceant ut quodlibet ævum,
Huc ſua ne poſthac Oriens contagia mittat.

Hæc mihi polliceor, ſed robur ad ardua quæque
Vos datis, ò Proceres, mea gloria. Nec vereor, quod
Dedecus eſt noſtrum, veſtrum quin eſſe putetis;
Quando ea, quæ Capitis mala ſunt, in membra redundant:
Nec minùs hoc membris quando imperat, ac populo Rex,
Cujus ope Imperium corpus concreſcit in unum.
Qualia Gargano incubuit cum plurimus Auſter,
Murmura crebreſcunt; ſic poſtquàm dicta Tyranni
Ultima conticuere, fremor detexit operras
Cannibalûm furias, & inhorruit aula ſuſurro.
Conclamant, huc uſque fuiſſe in amore modeſtum
Androphagum, faciendum ultrò, non eſſe rogandum
Arviragum in ſocerum, licitum rapere omnia ſolis
Cannibalis; illos nam quâ ratione tremendis
Armavit Natura toris, ſolidavit & oſſa,
Extenditque manus, & brachia? non niſi certè
Ut ſua vi facerent, quæcunque aliena putantur.
Cur adeò in longum protectæ fœdera pacis?
Cur patre cum vaſro, cur & cum Virgine durâ
Blanditiæ molles, cùm viribus eſſet agendum?
Qualiacunque tamen fuerint retrò acta, paratos
Se nunc emendare moras; per & obvia tela
Non modo de Cubæ penetralibus eruere imis
Auriam, ſed adire Stygem, preſſoque trifaucis
Gutture, Plutonis thalamo deducere nuptam.
Atque ita ſemiferi dum murmurat unda Senatûs;
Ecce vir Arviragi clarâ notiſſimus aulâ,
Ante Auguſtalis regalia limina viſus
Heliodorus adeſſe; rubens in vertice vitta,
Et lauri in dextrâ, ſignum pacale, racemus,
Legatum; talos demiſſaque veſtis ad imos,

Atque

ıtque eadem plumis, poſitiſque ex ordine gemmis
'ictura, venire monent Titanide Cubâ.
Non tamen Heliodorus erat, ſimulacra ſed hujus
umpſerat, armiferæ matris non aſper amori
ilius. Enerui veluti Lycomedis in aulâ
Quadrupedem præceptorem dedoctus Achilles,
Mollis ad imperium Thetidis bombycina paſſus;
Atque nec erubuit de venatore ferarum,
Et lanas tractare rudes, & pungere doctâ
Stamen acu, teretemque manu devoluere fuſum.
Poſtulat admitti: vaſtum deducitur intrà
Concilium: hìc aliquid pejus tortoribus Orci
Aſpicit, horrendos capite, & cervicibus altis
Cannibalos, flammis oculorum corporis atri
Noctem incendentes, malidoque fluentia mento
Fruſta reguſtantes, inſiccatumque cruorem.
Ore ſed informi vultus qui vinceret iſtos
Ipſe idem, qui Legati tunc munus obibat,
Ni latuiſſet, erat: qui poſtquam vertice prono
Sublimem ſolio Regem veneratus, & inde
Parcior obſequio reliquis largitus honorem,
Incipit: Arviragus, cujus Tibi nomine mittor
Nuncius, unanimi Tecum modo fœdere junctus,
Ambibat Natæ thalamis quoque junctior eſſe;
Hoc Cubæ votum, votum hoc commune puellæ,
Cui (veluti Cemes cecinere, nec inſcius ipſe es)
Omnis in immenſam promittitur India dotem.
Interea, dubium Cœli quo venerit actus
Cardine, quave plagâ (nam plures Æthere credunt)
Hoſpes adeſt mirus; Cubæ proh qualia ſecum
Rerum hominumque tulit miracula! navibus illis
Auderes conferre tuas ſi forte Canoas,
Non aliter faceres, quàm ruſticus inſcius Urbis

Hæc

Hac cum mole domûs, & gazâ divite, ruris
Si fumoſa ſui conferre mapalia vellet,
Appellare domos non auſim, dicere ſylvas
Nec poſſum: meruere tamen ſed utrumque videri
Si ſpectes quales tollantur in Æthera trunci,
Eſſe putes ſylvas; ſi quæ velamina tendant
In largos diffuſa ſinus, ſimulacra domorum
Cernere Te credas, & euntes æquore muros.
Omnia mira licèt, magis eſt mirabilis Ipſe
Heros Heroum: qualem, quantumque videndum
Se dedit, egregius formâ, & rutilantibus armis!
Credo equidem, gentile ſolum ſi viſeret unquàm,
Non aliter, quàm ſic, nos dignaretur Apollo.
Quin & in hoc aliquid, quod plùs veneremur, habemus.
Scilicet exuperante ſalo, cum nupera litus
Tranſgrederetur hyems, cumuliſque minatibus iret
Deletura domos, merſuraque funditus Urbem,
Non modo non favit, licèt exoratus Apollo,
Sed fautor ſceleris, quaſi conſentiret & Ipſe
In facinus, ſuaſit quid tempeſtate vel ipsâ
Deterius, noſtri prognatam ſemine Regis,
Humanamque Deam poſcenti tradere monſtro.
Dic ubi Tu fueras? audita pericula Conjux
Unicus ignoras! Certè ſi fidus amator,
Ut te prodis, eras, ſi tam præclarus in armis;
Cur ad opem vindex Cubæ, Sponſæque ferendam
Non citò veniſti? Cur impiger advena venit?
Cur hic naufragio potuit defendere Cubam?
Tergeminumque Deum barathro, quo venerat, auſus
Reddere præcipitem? cur & conſcendere ſaxi
Triſte ſupercilium? religatam ſolvere Nympham,
Et ſua credenti vix gaudia reddere Patri?

Serò

[V]erò moves queſtus, uxor quod pacta negetur;
[S]i vir eras, illo Tibi tempore Virgo petenda,
[C]um pugnæ merces ſcopulis affixa pependit.
[C]eſſit in alterius jam jura: illius oportet
[U]t ſit Sponſa viri, qui tempeſtivus in armis
Ni citò veniſſet, Conjux ea nullius eſſet.
Quare age, ſi ſapis, in melius verte improba vota:
Deque tot occiduis regionibus elige Sponſam;
Ne dubita, invenies. Quæ ſic exuberat auro,
An ne puellarum culpabitur India pauper?
Cui dat opes Fortuna, dat omnia: munere in uno
Congerit. & quo nobilitas, & vultus ematur.
Auriâ abſtineas, & eâdem velle potiri
Vi caveas: nam qui pridem pro Virgine Vindex,
Plutonem, contràque ſtetit Nereumque, Jovemque,
Quantus in Androphagum ſtabit pro Conjuge murus!
Exemplum potius, monituſque ſequare ſalubres
Arviragi, qui Te poſitis hortatur ut armis
Secum Heroa colas, ſubmittere turgida faſtu
Corda velis: cuicunque hominum Te cedere turpe
Eſto putes, ceſſiſſe Deo ſed crede decorum.
Proferri ulteriùs ſermonem non tulit æger
Rex furiis, preſſit terram pede, talia fatus:
Scilicet hoc deerat, chlamydatus ut hiſtrio Cubæ,
Perfidiæ facinus poſt tam palmare, novumque,
Poſtque Sacramenti violati jura, veniret
Turpis amicitiæ nobis conſulta daturus?
Spondet honorati mihi dum latronis amorem,
Quid petit infamis, niſi fabula factus ut ipſe,
Dedecorum teſtis ſedeam, plauſorque meorum.
Non ea magnanimi Caribes præcordia geſtant,
Quæ geritis Cubæ ſervum pecus. Ille ego Regum
Primus apex, nemo cui par, aut nemo ſecundus,
Mente

Mente feram placidâ, moderamen ut occupet Indum
Perditus, & noſtris illudat amoribus hoſpes ?
At meritum jactat, poſſit quo Numen haberi ;
Me veſtrum miſeret Superi, ſi furibus Æther
Pareat, & ſanguis tam ſordidus inquinet aſtra.
Vel nulli Superi, vel ſi qui forte putantur
Eſſe, ſumus Caribes : quàm primum dente ſub iſto
Qui crepitet, Rex veſter erit ; tunc temnere diſcat
Androphagum, generumque Deum qui protegat, ore
Peccatum, fateor, ſatis eſt hucuſque morando ;
Sed faxim, nimis ingratas, nimiumque pudendas
Vindictâ graviore moras violentia penſet.
Præcipitate rates è noſtro litore : tuque
Omnibus in bellis ſemper mihi cognite dexter,
I prior Oxidamas, præeuntibus ocyter alis
Aggredere Avanam : nullo non tempore lætos
Vertumni colles, & diverſoria Floræ
Dede rogo : poterit quid ferre dolentiùs unquàm
Rex calamiſtratus, quam ſi periturus, & ipſe
Luxûs antè ſui videat fomenta perire ?
Craſtinus hinnitu tenebras cum ruperit Æthon,
Ponè ſequar, nervo ſeptus meliore meorum.
Dixit, & adſtantem dein ſpectans lumine torvo
Legatum, ſubdit : Tune hæc perferre miniſter ?
Tun' potis Androphago non expalleſcere viſo ?
Protinùs aſpectu procul hinc te ſubtrahe noſtro,
Infremit, atque minans tanquam qui calce feriret,
Reppulit. Ille notam violati offenſus honoris
Ilicet ulturus, jam rejeciſſet amictum
Enſe palàm tracto, ſi verba, ſuperbaque facta
Contemptoris inurbani ſibi facta putaſſet ;
Diſſimulat, fruiturque tamen mota arma videre :
Tandem abiit, dubium lætus, triſtiſne recedat.

His

His ita perfectis, Procerum diſſolvitur ingens
Conventus; mentis ſed Rex non ampliùs anceps
Externum regnare procum ſibi Conjuge demptâ,
Hinc ignominiæ ſtimulis, hinc actus amoris
Æſtuat, & quantò luctatur inaniter à ſe
Carnifices animi geminos avellere, tantò
Abdita plaga magis crudeſcit, & altiùs intrat,
Non aliter taurum quoties tenuere Britanni
Aure ab utrâque canes, quò valdiùs iſte laborat
Vi, cornu, plantis, & caudæ verbere ſe ſe
Extricare, magis ſibi neſcius efficit: hoſtes
Scilicèt irritat, qui nè deſiſtere prædæ
Guſtato dulcore ſemel ſint denique juſſi,
Amplificant vulnus, denteſque tenaciùs urgent,
Non ſecùs Androphagus curarum morſibus æger
Angitur hinc, illinc; lux craſtina ſera videtur
Vindictæ cupido: Proceres, lucemque peroſus
Effugit, ac ſe ſe penetralibus occulit aulæ.
At ferus Oxidamas præcedere juſſus, & hortis
Fertilis Avanæ properatum inferre Gradivum,
Jam celerabat opus: tercentum ex omnibus illi
Commiſſæ naves, ſi fas ita dicere, truncos
Sylvarum malè conſutos, & turpiter hirtos;
Attamen innumeros extenſo ventre capaces
Per freta ferre viros. Quos ferrent, & quibus Indi
Cardinis accitos regionibus, unica nobis
Pandere Fama potes, Latiiſque oſtendere chartis,
Si tibi depoſitum ſedet, ò pulcherrima cuſtos
Præteritorum operum, ſi grandibus extrahis urnis
Defunctos Heroas, & ævum vivere donas
Longè nobilius; terras efferre ſepultas
Te penes eſt etiam: dabis has ſi noſcere primùm
Gentibus oppoſitum occiduis habitantibus axem,
Naſci

Naſci iterum nobis per te credemus & illas.
Centum aderant lintres , gravidique phalangib
omnes,
Impigra Jamaice quas miſerat Inſula,quondam
Æmula Cannibalûm ; ſed poſtquam ſubdita ceſſit
Androphago ( heu feritas ! ) juſſa eſt bis dena quotann
Corpora natorum regali pendere menſæ.
Id crudele quidem ; longè crudelius illud,
Flore coronati quod eodem tempore patres
Eſſe juberentur convivæ, mandere natos,
Naturæque rebellantem prætendere riſum :
Præcipuè cauti, ne ſigna doloris adeſſent,
Argueretque patres pietas ſuſpecta Tyranno.
Centum alias tellus inſtructo Marte Canoas
Attulerat Levana ; atque illi proxima Bauce :
Inſula parva quidem, miro ſed prædita fonte,
Cujus ſorbitio, quacunque potentior herbâ
Colchidis, & cantu ; vix irrigat hauſta medullas,
Annoſæ poſitâ confeſtim pelle ſenectæ
Luxuriant tumidæ juvenili ſanguine venæ,
Incolumes rediere genæ, nivibuſque fugatis
Atrati crines umbram ſparſere priorem.
Quæ ſi vera forent, nec tam diſtantia vero,
Qàm diſtant Indi, cuinam poſt terga relictâ
Calpe videretur longum mare ; Neſtor ad Indos
Qui priùs hinc abiit, ſi Nireus inde rediret ?
Sed bene proviſum, breve ver ut temporis acti
Arte reverſurum nullâ foret ; illius ævi
Ne poſſent etiam deliramenta reverti.
Officioſa minùs nec tempore deſtitit illo
Belli ſuppetias Caribum præmittere Regi
Arx Pariæ, quatuor circumdata montibus, unde
Erumpunt totidem lymphis locupletibus amnes.
Quem-

Quemlibet accipias, Tagus eſt: à rupibus orti
Auriſeris, partumque tamen claudentibus aurum,
Nec niſi foſſorum ferro proferre coactis.
Nati diſſimiles ſed Avaris Matribus: iſtæ
Quidquid alunt, furtim retinent; at largiter illi
Diſpenſant, Urbes luſtrant & paſſibus aureis.
Ut mirere minùs, ſi quæ poſſeſſor avarus
Congerit, oblimet patrimonia diſcolor hæres.
  Jamque cadente die repetebant aëra furni
Noctis equi, pulſuque pedum nè prima quietis
Turbarent exorſa, ſolum Cœleſte premebant
Molliter, hinnitus ipſos ſuſpendere cauti.
Solverat Oxidamas; & eodem tempore pectus
Curarum miſerabilium ſub faſce gravatum
Pace brevi Androphagus jam reſpirare ſinebat.
Ecce autem in ſomnis, ſeu quòd natura volantis
Eſt animi, cùm non audit rationis habenas,
Liber ut in noctem ſimulacra diurna ſequatur;
Seu quæ fingit amans ſibi gaudia pervigil, illa
Ruminat in tenebris, interque inſomnia ſæpe
Non ſibi mentitus, quod ſint inſomnia noſcit,
Auriæ effigiem ſibi cernere viſus, eamque
Exaudire etiam tales effundere queſtus.
Immemor ergo mei dormis? nec reſpicis in quos
( Me miſeram! ) dejecta toros Auria relabor,
Te ſpreto Androphage? O Regum fortiſſime fruſtrà
Me pater ( Heu! neſcis ) indignus nomine patris
Nubere piratæ cogit, cui totus in undis
Cenſus, & in ratibus ſtat nixa potentia ſeptem,
Jure reus: Regnum, populos, gnatamque, ſuoſque
Quando oblitus avos, obliviſcendus & ipſe eſt.
Ullus amor Nuptæ ſi Te, ſi nominis Indi
Gloria ſollicitat, ne fronte meâque, Tuâque

Depre-

Deprecor, infamem ſcribi patiare lituram.
Nunc age, caſtra move, ſomnum excute, labere Cub
Quantus es, & qualis, Te ſpectet in agmine primum,
Spectet, & agnoſcat citò barbarus; ex Oriente
Emendicati nos non Rectoris egere.
Quàm mihi Tu charus, quo Te complecter amore,
Hinc reſcire potes, quod præſens ipſa venire
Cum minimè huc poſſem, pro Me mea venerit umbr
Hæc ait, & noctis tenebris confunditur atræ,
Credulus omnis amans. Quid? ſi Rex perditus æſ
Pectoris, affectus, quos vellet ut uxor haberet,
Hos & habere putet, dictiſque lubentibus aurem
Præbeat; ultrà etiam, falſa inter gaudia, clamet
Semiſopitus: eas fœlix quocunque vocaris
Diva, tui veniam comes indiviſus, & ultor;
Nec prius abſiſtam, donec jam libera mecum,
Diſcerpti per & oſſa proci, patriſque cadaver
Calcatum, ad noſtrum redeas non umbra cubile,
Prima ſed Heſperidum, Reginaque cardinis Indi.
Arma viri, ferte arma: viri, qui ſpicula ferrent,
In procinctu aderant; tunc experrectus, & omnis
Ipſe ſui, capit & clavam, pharetramque capacem,
Grandiàque induitur prægrandibus arma lacertis.
Utque oblata recens per ſomnia fortiùs iras
Incendebat amor, Procerum comitante maniplo
Confeſtim ruit ad portum, per & inde Canoas
Expertes numeri, numeroſum digerit agmen
Dumque ea feſtinat, lentum dum qu libet eſſe
Se putat, imperium niſi prævenit imperitantis,
Mentis & interpres peragenda præoccupet actis;
Ecce puellarum ſtipata nigrantibus alis,
Factaque bellatrix de venatrice, viroſque
Non indigna ſequi Vaſilinda ſupervenit, inter

Nym-

Nymphas prima tamen: qualis Latonia Virgo
Per juga Taygeti vultus induta minores
Agmen agit Dryadum, de vulnere quærere famam
Læta magis, mortisque feras agitare capaces,
Quàm ſi Zodiacum ſicco decurreret arcu:
Sit ſine luce licèt, ſit agreſti condita panno,
Eminet una tamen; tantùmque ſodalibus anteit
Antra colens, quantùm ſuper æthera præterit aſtra.
Haud ſecùs alma ſoror Regis, furvæque Sacerdos
Magnæ Deæ, famulas ultra caput altior effert.
Illi adventanti pronas exercitus haſtas
Ultrò acclinat humi, ſpatiumque relinquit eunti.
Cominùs utque ſtetit: non huc, Germane ſupremam
(Ut fortaſſe putas) ad opus grave Martis ituro,
More ſupervacuo, veni latura ſalutem.
Partiri bellique metus, & gaudia tecum
Conſtitui; neù ſola forem, circumſpice noſtri
Ancillas lateris. Non eſt culpandus in iſtis
Sexus, ut in reliquis: animum metire, quid intùs
Audeat ex habitu, non exornantur inerti
Cyclade, quas ſtravere feras, his membra teguntur.
Dextera vix viſo quæ non erravit in Urſo,
Irrita barbarici capitis peccabit in ictu?
Adde quod hic cœtus Nocti ſacer, auxiliare
Secum Numen habet: campum cùm Martius omnem
Pulvis opacabit, Dea tunc quæ cuncta recondit,
Nilque ſibi, quosque excæcat videt una colores,
Hoſtica Cannibalas in corpora diriget haſtas.
Prætereà Tibi momentum non tenve futurum:
Unum ex hoſpitibus delatis nuper ad Indos
Mecum habeo, noſtræ deprenſum fornice rupis.
Hunc ego non, veluti dictabant jura, peremi;
Servari duxi ſatiùs, quò diſcere poſſes,

Cantatos quantùm minuat præſentia nautas.
Quóque magis de ſorte viri lætere reperti,
Sit licèt externis hic de prædonibus unus;
Diffidet his, omnes & deteſtatur ad unum,
Præcipuèque tuæ raptorem Conjugis odit.
Perdat ut hunc, quacunque poteſt ratione, modoq
Poſcit opem, caſtrisque tuis admitier orat:
Utere deſertore, odio capitaliùs omni eſt,
Grandis in oſorem quoties migravit amator.
Hæc ubi dicta dedit; mediâ gaviſus in ira
Androphagus, cupidusque ingnotam ignoſcere præc
Imperat acciri. Poſtremus Amazonas inter
Fernandus veniebat, ahenâ luce coruſcus,
Obtectus loricâ humeros, & caſſide vultum.
Non ſic effuſi mediâ Carthagine Pœni
Induperatorem pecoris videre jubati
Hannone edomitum primò, docilemque magiſtri
Fræna ſequi, facilesque gradus per aperta viarum
Ferre, domosque pati, tanquàm de Civibus unum
Cannibali velut attoniti denſantur in agmen,
Scituri, armigeris quæ bellua capta puellis
Ducitur. Ignari ſiquidem quid fuſilis auri
Unda, quid & chalybis præſtet, quantùmque decor
Accedat mixtis flammâ purgante metallis;
Arma ubi viderunt ritu fulgeſcere ſquamæ,
Tam bene cumque eadem videant hærentia membri
Eſſe bipes animal credunt è plebe draconum,
Serpere cui vetitum, geminis cui tendere plantis
Detur, & in Cœlum rectos attollere vultus:
Addebantque fidem rutilantes vertice criſtæ.
Qui ſimul ante ſtetit Procerum capita ardua, Regem
Utque ſalutavit demiſſo vertice, ſolvit
Ex inopinato galeatæ vincula frontis,

Exhi-

:xhibuitque hominem; tùm vox humana ſecuta eſt.
Maxime Cannibalûm, victorum nemo tuorum
'am conſtans, fidensque animi conſiſtere viſus
'e coram ornandus ferro, captivus ut ipſe
ilorior eſſe tuus: meque hac de gente prophanâ
Quam meritò exagitas, unum non eſſe negabo;
)ignus & idcircò videor mihi qualibet ante
Aortem morte mori. Quare genus elige lethi;
Aſſandum ſeu me lento commiſeris igni,
ive mari reddas, nuper quo naufragus exî,
ive veneniferi damnes ſpiratibus antri,
Jnde Soror tua me ſubductum reddidit auris,
udice Te, mors detur: erit mihi muneris inſtar.
Jnum oro, priùs exſpolier quàm lumine, cædem
Jlciſci permitte patris. Vix talia fatus,
'lura loqui vetitus, cupidumque exire dolorem
Ex oculis preſſit, lacrymasque reſorbuit ira.
Geſtiit Androphagus viſo hoſpite, deque ſeverâ
'ronte ſupercilium paulùm ſecedere juſſit,
Admiſitque brevi manſurum tempore riſum.
Sic torpet, non virus abeſt, cum vipera florem
Strata ſuper dormit, nocituraque vulnera differt.
Donec ſopitas injuria provocet iras.
Non ſecùs ille ferox, naturalique refertus
Felle ſinum, paſſus mites tunc ſumere mores:
In monſtroque fuit monſtrum, quòd tempore parvo
Viſus homo. Quando hoſpes, ait, communia noſtris
Vota geris, depone metum: ſervabere. Verùm
Dic age, quæ gentes eſtis? quâ parte venitis?
Quid petitis? violens qui nam iſte ſuperbus, & effrons
Latro maritarum, qui penè ingreſſus ad Indos
Sic agit, ex longo veluti regnaverit, auſus
Et ſolium, & thalamos alieni ſcandere Regis?

Finierat; tunc hæc Juvenis fidentior addit.
Gratam quando meis demittere caſibus aurem
Non indignaris Rex auguſtiſſime Regem,
Narratu mens implacido licèt horreat, edam.
Ipſe, meique olim, quos dixi, habuique ſodal
Quos tamen in præſens omnes averſor ad unum,
Venimus Europâ: num terræ huc venerit hujus
Nomen adhuc dubito, ſed nec veniſſe putandum e
In causâ Oceanus, tractabilis abjete nullâ
Tempus ad hoc, viſusque ſacer formidine Divûn
Scilicet, ut fama eſt, ſua ne ſecreta paterent
Humanis oculis, Rex credebatur aquarum
Nunc Europæum litus, nunc verſus ad Indum
Ex æquo horribilis populis patuiſſe duobus,
Attollens capita alta, procelloſumque tridentem
Hinc timidæ gentes utroque ab litore nunquam
Auſæ inconceſſi penetralia tangere fluctûs.
Primus homo Ligurum, genitor meus, omnia cont
Somnia, præſentisque exempla, prioris & ævi,
Nequidquàm ventis renuentibus, imbuit audax
Navibus Oceanum; nec ad hæc tentamina mente
Vile lucrum, multoque minus Venus extera movi
Impulit unus amor, loca diſſita jungere terras
Et noſtras vobis, & nobis prodere veſtras.
Ulla ne cauſa unquam poterat præſtantior iſtâ
Eſſe viæ, quàm Naturæ protendere fines?
Ætatesque docere, Orbis quàm maximus eſſet,
Quamque illo longè major, qui condidit Orbem
Jamque pererratis immenſæ tractibus undæ,
Penè in conſpectus acceſſerat India noſtros;
(Grandibus heu livor non diſſociabilis actis!)
Sanguinis Hiſpani vir degener, imperiumque
Alvarus affectans ſupremum invadere claſſis,

Idem-

emque inflatus ſpecioſa vocabula primi
ırre repertoris, quia raptor honoris & hujus,
ır ideò pejor, genitorem dedere morti
eſtinat; utque dicax, ſocios ad peſſima poſtquàm
onſilia adduxit, vitâque armisque Parentem
xuit, & parili properarat mergere letho
e quoque, ſervaſſet miſerum niſi mitius æquor.
erne, habeat juſtas an noſtra ferocia cauſas:
xorem Tibi qui pactam temerarius aufert,
bſtulit hic pariter patrem mihi; crimen utrumque
luere eſt animus. Quare Te deprecor, heros,
ida per hæc Regni tua Lumina, perque Sororem,
ujus ope hanc vitam me tempus in omne fatebor
cceptam, pro quâ Superi ſi largiùs æquo
Iille darent animas, animas totidem ipſe litarem;
a tua caſtra ſequi: mediis in millibus hoſtem
pero reperturum, nulli manifeſtior ille,
Quàm mihi. Habet ſecum ſceleris geſtamina nota
apta Patri, quibus eſt impar homicida ferendis;
ed repetam. Voveo, Caribes, quod cernitis, intra
Viſcera prædonis capulo tenus, abdere ferrum.
Dixit, & incluſum tenuit quod tempus ad illud
Liberat, atque Indis mirantibus objicit enſem.
Ante alios vultum Androphagi metuenda ferit lux,
Nec minus exhilarat gaudentes ſanguine viſus
Ignoti chalybis ſtrictura, Charontis avari
Ora racemiferum quàm delectaverit aurum.
Ignarus quamvis collaudet, & approbet enſem;
Attamen indignatur onus ceu debile dextræ,
Ad nodoſa ſuæ dum pondera reſpicit haſtæ.
Non ideò laudare virum præclara minantem
Diſtitit: acceſſit vehemens quoque calcar amandi,
Irarum in causâ Sibi quod concordet eâdem.

Macte animis, inquit, tua ſi reſpondeat auſis
Dextera, ſi fruar Auriâ, rivale perempto,
Tu quoque non humili tædâ donatus abibis;
Præfertim cum te clari genitoris origo
Ultrà vulgares cœtus attollat, & ad te
Spectet ut hæredem peregrinæ machina claſſis.
Navibus his fultus, teque adjutore, quid obſtat
Quò minùs à Superis promiſsâ Conjugis amplâ
Dote fruar? De cæde tuâ deſiſte vereri,
Solùm agita, communem hoſtem tibi, & omnibu
Indis
Tollere de medio: quem ſi lethalibus umbris,
Ut ſpero, dederis, mecum tibi ſerviet omnis
India, teque tuæ Europæ meminiſſe pudebit.
Utque ſcias, quantum de te mihi ſpondeo, pignu
Sume, puellaris fræ nos moderare phalangis,
Præcipuèque meæ curam tibi mando Sororis.
Hæc ubi fatus erat (proh quam vileſcere cogit
Imperioſus amor!) Rex ille ſuperbus, & excors
Hoſpitis ignoti regalia tendere collo
Brachia ſuſtinuit; quin delinitus odore
Humanæ carnis, ſibi quam velut eſſe videbat
Appoſitam, tenuit rabida ora, gulæque pepercit.
Cannibalûm Regnatori dum lætus adusque
Lætitiæ lachrymas, grates Fernandus agebat;
Ecce redux Cubâ truculentior, horridiorque
Therodomon; ſi priſca novis conferre poteſtas,
Talis Agenoreâ greſſum referebat ab aulâ
Torva fremens Tydeus, ex Oratore, reverſus
Hoſtis, & ante tubam, reditu ſpectatus in ipſo
Jam victor, quinquaginta circumdatus umbris
Cæſorum monimentum ingens quid polleat unus.
Ut ſtetit, utque armis latè efferveſcere litus
Deſpe-

eſpectat, denſisque inſtratum navibus æquor,
lamorem longè ingeminat: bene providus, ô Rex!
rælia maturas; non eſt dubitabilis Hymen.
idi ego connubii teſtantem gaudia Cubam,
Ixoremque tuam, puduitque videre ſedentem
ıter & Arviragum, piſcatoremque maritum:
Iec me continui, quin execrarer apertè
'erfidiam Regi, bellique extrema minarer.
)mnia vindictæ jam prona, parataque ſpecto
/otum etiam ſuprà; nunc, nunc invadere tempus,
)um ludis, choreisque vacant, oblitaque virtus,
;i qua ſubeſt, placidâ rubigine carpitur otî.
Quos alat indigenas Cubani infantia Cœli,
Perſpectum ſatis eſt; horum quos advena vexit,
Adſum explorator: juvit vidiſſe minuto
De grege Pygmæos, & non corpuſcula noſtris
Artubus æquiparanda, giganteisque lacertis.
Sola homines novitas magnos facit: hos citò vincet
Quilibet è noſtris, oculos qui vicerit ante.
Hæc cum verba daret, ſtantem prope, lumine torvo,
Fernandum aſpectat, cujus dimenſus ut omne
Corpus ad usque pedes, ſuper hæc tunc adjicit: & quid
Immoror ulteriùs nebulonum exponere vultus?
Unus hic ex illis, & ab iſto diſcite, quales
Sint reliqui; Nobis timor eſſe, DEUSque videri
Hic meret! At multo clareſcit lumine corpus,
Veſtiri plerúmque ſolent quo membra Deorum.
Hic ſi vos, Proceres (quod non reor) occupat error,
Ponite craſſam animi nebulam: non corpore, tanquam
Vivo fonte, fluens translucet in extima ſplendor;
Emendicatus de tegmine corporis exit:
Hoc & membra tegit, ſimul hoc munimine freta
Plebs vilis, metuensque mori, defendere pellem

 Niti-

Nititur à jaculis; ſed nondum conſcia, noſtris
Quale volet pharetris indeclinabile vulnus.
Et magnos hìc eſſe Deos ſuadebit amictus!
Qui nimiæ tantùm cum ſit formidinis index,
Non locat ultrà homines, homines ſed deprimit infra.
Magnanime Androphage, & ſolus mihi Numinis inſtar,
Si ſinis, experiar caput hoc in vile latronis,
Iſta ſit ad noſtros quam ſarcina debilis ictus.
Vix ea; fraxineam falcem, quâ ſueverat Apros
Scindere dimidios, attollit utroque lacerto.
Jamque ferebatur; furialibus obſtitit auſis
Ilicet imperio Androphagus vocisque, manûsque.
Parce, ait, ignoras in quem tua ſæviat ira.
Non hic, ut reputas, ignavus transfuga; Virtus
Sub mea ſigna tulit: vindictæ accenſus amore,
Quod monſtrum Caribes cuncti odimus, odit & iſte,
Et cauſas, quibus odit, habet: ne cætera quære.
Quare age da dextram, comitemque ſodalibus adde.
A manibus mea quantumvis fiducia veſtris
Pendeat, uti etiam fas viribus hoſtis in hoſtem.
Nec tua, Therodomon fortiſſime Cannibalorum,
Vis latet Androphagum, dignumque è millibus unum
Idcircò duxi, Cubam qui ſolus adires.
Lauda animum, fortesque toros; ſed qualia ſpondet
Hunc contrà portenta manus, prædonis iniqui
In caput inviſum, Me ſpectatore, reſervet.
Hæc ait, egregiumque Ducem regale Canoæ
Textum intrà poſtquam prope ſe conſidere juſſit,
Majeſtate manûs dat eundi ſigna; jubentis
Excipiunt feſto mandata celeusmate nautæ.
Antra ſonos referunt, iterantque, ſuisque ſupremum
Terra relicta vale, dare velle laborat alumnis.

Deſe-

Deſeritur tellus, mare finditur, arma petuntur,
Spes præit, ut mos eſt, & euntibus alba colorat
Omnia, victu hoſtem facilem, Cubæque rapinas;
At quæ picturam comitant, non objicit umbras,
Conflictus, fremitus, lanienas, vulnera, mortes.
Hinc animos tollunt, & ituri in prælia, credunt
Ire triumphatum; tamen inter gaudia retrò
Sæpe oculi litus repetunt. Quis crederet? ipſa
Aſperiora feris, placidique expertia ſenſûs
Pectora, natalis tugurî diſtantia tangit:
Saxeus & quamvis, quia patria, nidus amatur.
Nec minùs, Androphago venienti opponere vires
Providus Arviragus, portis egreſſus agebat
Agmen in Avanam, quâ nuncia fama ferebat
Detonuiſſe gravem belli formidine nimbum.
Ipſe inter reliquos ſellâ ſpectabilis aureâ,
Humani quantum poterat dare cura nitoris
Splendidus in jaculis tantum, pharetrâque gerebat,
Eſſet ut in dubio, tam dives, & horridus idem
Pythonem contrà, pharetratus an iſſet Apollo.
Arviragum propter ſuccincta viriliter oſtro,
Inque illo ambitioſa ſitim præferre cruoris
Bellatrix Auria nivalia terga premebat
Alicornis: & usque adeò proceſſerat oris
Auguſti ſpecies, poſtquàm Pars addita Mundo eſt;
Illius ut vultus reverentia tangeret haſtas,
Nudaque ſe facies ſic cuſtodiret, ut eſſet
Nunquam tuta minus, quàm ſi galeata lateret.
Quam diſpar Helenæ! Neptunia Pergama circum
De ſe, ſe coram, quæ vertice turris ab alto
Bella videbat agi; ne non bellaret & ipſa,
Artifici reddebat acu, fomentaque faſtûs
Mortibus hauribat viſis, intenta, cruoris

Sordidus è maculis, ut veſtiretur Achilles
Sericus, intereà Satyras ignara ſibi quas
Scriberet in Phrygiâ regalis adultera telâ.
Longè aliter, pro ſe fieri quæ prælia ſentit,
Non audire domi deſes; nec cernere ſolùm
Spectatrix Auria; petit pars eſſe pericli.
Hanc circum, Regisque latus glomerantur Ephebi,
Lecta manus juvenum, ſolisque à nomine, Solis
Dicta phalanx: ſimilisque DEO licet usque laboret
Eſſe ſuo, lævore genæ, comptoque capillo;
Arte tamen jaculi magis eſt: contingere metam
Usque adeò ſolers, ut jacto in nubila telo,
Miſſo alio actutùm, redeunti occurrere poſſet.
Pone viris ævo florentibus additur agmen
Acre ſenum, qui jam poſitis melioribus annis
In tuto, gaudent extremæ fruſtula vitæ
Spernere pugnando; quin fœnoris inſtar habetur
Ire viâ ad mortem properâ, ſed Honoris emaci.
Conſilium ſapiens viſum quoque, tempore pugnæ
Conſociare duplex robur juvenumque, ſenumque
Proximitate loci, ſimul ut certamen Honoris
Eſſet, & ætatis, vincique perinde puderet
A juvenum virtute ſenes, juvenesque ſenili.
Gentibus indigenis Cubæ gaudentibus ultrò
Regis fida ſequi vexilla, latusque tueri,
Auxiliatrices non vos ceſſaſtis & alas
Mittere, Cubanos juxta quæcunque jacetis
Inſulæ Oceano in magno: nec cauſa coëgit
Una, Hyperioniæ ſuccurrere mœnibus Urbis.
Partem agit in Caribus odium implacabile, partem
Gloria ſollicitat, partem urget anhela cupido
Viſendi ignotos vultus Orientis, & ipſum
Ductorem ante alios; cujus ſub vindice dextrâ
India

India jam tandem fore ſperat, ut hoſte ſubacto
Androphago, latrociniis purgata nefandis
Æquora reſpirent, habeant & buſta peremptos.
Parvæ Hiſpaniolæ quæ prima recepit Iberos
Inſula, prima etiam ſociæ transmittere Cubæ
Feſtinavit opem; ſelectas ſcilicet omni
E numero tercentum animas cum grandibus haſtis,
Anguineis loricatas & pectora ſquamis.
Artemidorus erat Dux agminis, ante Sacerdos,
Nunc bellator: & illa eadem quæ dona Columbus
Digrediens, memor hoſpitii, fideique receptæ
Contulerat, veſtire ſenex ambibat & arma.
In ſene quodque fuit magis admirabile, jam tunc
Flectere cornipedem, gladiumque equitando rotare,
Hiſpano quocunque peritior: omnibus Indis
Ad perdiſcendas argutæ Palladis artes,
Pingue ſit ingenium quamvis, & ruſtica fibra,
Mira acies tamen his populis, & mentis acumen,
Illud ut à Grajo deductum ſemine credas.
Hos propè Quiquejæ properatum nuper ab oris
Ibat militiæ rarum genus, impavidumque;
Et ſi Teutonici tollas miracula ſexûs,
Non alibi certè viſum, quàm partibus iſtis,
Uxores in amore fideles, indocilesque
Ferre viri deſiderium, per & arma ſequaces
Dilecti capitis, laterique hærere jugali
Conſtantes, unàque mori: nè Græcia ſolam
Prædicet Evadnen, Capaneos fortiter auſam
Conſcendiſſe rogos, ſpernacem mortis & ignis
Non minus, irriſor conjux quam fulminis eſſet.
Has juxtà Legio veniebat & altera, Cubæ
Quam dederat ſimul adjutrix, & fœdere juncta
Zavanæ Regio, non vano nomine fœlix

Dicta;

Dicta; quod immunis brumæ redeuntis & æſtus,
Perpetuo indulget veri, fruiturque, frui ſi eſt
Cernere ſemper idem, non alternantis & anni
Gratas noſſe vices. Donum quoque grande putares
A magnâ Genitrice datum, telluris ut hujus
Anguibus indigenis virus commune negetur;
Ni via de tantis dum clauditur una nocendi,
Intentata novæ patuiſſet & altera morti.
Namque ubi tabe caret ſerpens innoxia, partes
Arbor ibi ſerpentis agit: nec toxica paſtis
Tantùm alit in foliis, & ramis inſuper ipſis
Reptilibus cadit umbra nocens, mirantibus Hydris
Non ſua, ſe contra graviùs pugnare venena.
Quilibet hac miles genitus Regione decorus
Ibat & in ſagulis, & verſicoloribus armis,
Tela ferens tincta arborei medicamine ſucci.
Væh! Caribus, ſi lethalis vos læſerit arcus,
Deſperetis opem, non hanc Nox veſtra, nec ipſa
Vobis magna parens Tellus feret omnibus herbis.
His, aliisque plagis collecto milite campus
Creverat Arviragi in molem. Sic nobilis ille
Ex Apennini Genitoris origine primùm
Pauper aquæ graditur Tybris; ſed pabula poſtquam
Accepit nivibus, ſocialesque ebibit amnes,
Indignatus agreſtem animam, jam lambere Martis
Ambitioſus amat muros, & cogitat inſtar
Ire triumphantis ſubter, quos ſuſtinet, arcus:
Non ſecùs externis Rex Cubæ acceſſibus auctus
Fertur in Androphagum, quanquàm ſpes amplior illi,
Et calor & faſtus paucis veniebat Iberis.
Expendas Pedites, acies quibus illa coibat,
Tercentum invenies: Equites numerare licebit

Penè

Penè decem. Sed ut unus Equus, clauſæque ſub illo
Paucæ animæ, Grajæque tamen, dare funditùs arcem
Et potuere Aſiæ, Priamique evertere Regnum;
Pauci Equites in equis, Hiſpanaque corda ferentes
An non & poterunt ſusque omnia déque moventem
Proterere Androphagum, Noctisque excindere gentem?
Qualemcunque Ducum expendas ſeu Didacon enſe
Fulmineum, celerem Vaſcum ſeu jactibus haſtæ,
Sive volubiliter Rodericum turbinis inſtar
Torquentem frameam, modò non quæratur in iſtis
Fraudum lingua comes, ſpectetur vivida tantùm
Quid ſibi dextra queat promittere; quemlibet horum,
Ajacem, Sthenelumque, nec eſſe negabis Ulyſſem.
At velut Iliaco ſudans in pulvere, quantùm
Argivos proceres Agamemnonis umbra premebat,
Cervix prima Ducum; tantùm ſupereminet omnes
Columbus. Domitorem illum jam ſenſerat unda,
Quælibet adverſus portenta natantia ponto;
Nunc Anthropophagos contra pejore Charybdi
Gutturis horrendos, tellus jam ſcire laborat
Quantus equo volitet, qnaliſque aſſurgat in haſtam,
Quantus & in clypeum: non mutat pectora Virtus,
Si mutata loco, ſimilis ſibi fortis ubique eſt.
Dummodo te Alciden præſtes, ne monſtra timeto:
Terra det Antæos, Lerne progerminet Hydras,
Quolibet in ſtadio ſemper clamabere victor.

# LIBER XII.

EXTREMAM Regina manum jam pone labori
Calliope: cantanda novo nova bella orichalco
Nunc tibi; diſcretæ Terris, atque Æthere gentes
Concurrunt, mediumque tenent trans Tartara campum.
Mutua quæque ſibi juſſæ veſtigia contra
Vertere, pectoribus contraria pectora vertunt:
Armaque dum ſtringunt utrique incognita parti,
Non mortem ignorant cunctis mortalibus unam,
De novitate timent; tantùm ſibi nota parari
Vulnera de pharetris Hiſpanus prævidet Indis,
Poſt vulnus ſed neſcit adhuc reſtare venenum,
Inque Thyeſteas abitura cadavera cœnas.
Indus ab Hiſpanis quæ conſpicit, eſſe nocendi
Autumat arma, tubos intrà nec fuſilis æris
Fervere Vulcanum putat inſcius, & comitatum
Fulgoris, tonitrusque, ſolet quo vadere fulmen.
Sub pedibus quicunque tamen poſuere caducum
Vivere, nec curant quâ ſit ratione cadendum.
Namque ubi dedidicit metui mors ſumma malorum,
Non mala ſecernit majora, minoraque fortis.

Jam

Jam pridem Oxidamas miſſus vaſtator in oras
Venerat Avanæ, celerique cremaverat igni
Balſama ſudantes truncos, flammisque coactos
Depopulatori pro tam crudelibus actis
Reddere delicias, & olentes cinnama fumos.
Huic ope ventorum Androphagus perniciter uſus,
Nervum militiæ ſociaverat atricolores
Cannibalorum acies, æquantes vertice montem
Quo geniti; quorum ſpectes ſi corpora, credas
Omnes concilio dignos aſſiſtere Phlegræ.
O animæ fortes, & quas dedit Indica tellus
Columbo ſocias, & quas Hiſpania legit
Ex albo Heroum: de vobis jam foret actum,
Omniparens Natura viris ſi peſſima quæque
Auſuris, quàm poſſe dedit, tàm ſcire dediſſet.
At bene conſuluit, tantum ut de mente negaret,
Quantum contulerat de viribus: utque ferarum
Ritu, non agerent ratione, ſed impete bellum.
Illo Marte tamen Fernandus profuit, artis
Omninò ignari Caribes, ſtolidèque feroces
Nè caperent incompoſiti velut arma ſolebant;
Spiſſa ſed in vaſto lunarent agmina plano.
Hùc & Columbus quia venerat, antè locatis
Belli tormentis ſublimis in aggere clivi,
Cubanisqe bipartitis Legionibus illinc,
Atque hinc, in medio Hiſpanas direxerat alas:
Cautus ut adverſum biberent æra ignea Solem,
Unde repercuſſu ſplendoris inertibus Indis
Eſſe videretur plusquàm mortalis Iberus.
At quàm diſſimiles ambo! circumſpicit acer
Cantaber oppoſitas acies, ſecumque volutat
Gaudia, quæ parto feret Iſabella triumpho.
Hujus ab eventu pugnæ fœliciter actæ,

Tempus

Tempus in omne videt ſibi tot naſcentia regna;
Ut ſit in ambiguo, magis India foſſilis auri,
Regnorumve ferax an vena futura novorum.
Contrà Cannibali vultus in caſtra guloſos
Obliquant; non laudis amor, non ultio melle
Suavior Hybleo, ſtimulos in prælia ſubdit;
Præter at ora fames circumvolat, arida lumbos,
Macra ſitu, ſolamque gerit pro corpore pellem;
Bellantumque latrans intrà præcordia, ſuadet
Informes epulas, inhonoraque vulnera, morſus,
Suſpenditque animos, malint immittere dentem
Cubanæ priùs in plebis pecuaria nota,
An bibere Hiſpanum cranio fumante cruorem.
Non unum, aut alium, quemcunque putaveris horum
Harpyiam, ſed qualis erat, cum Phinea ſupra
Iret hians, raptura dapes impaſta Celæno.
Erectis animis hinc illinc, campus uterque
Congreſſurus erat; lux defæcata, nec ulla
Nubila: velle videbatur quin Sol memorandæ
Largiùs aſſueto lumen præbere diei.
Lege volubilium cùm ſic dictante rotarum,
Accidit; ut juſſi finito tempore gyri,
Luna adverſa ſuum fraterno opponeret Orbi.
Ex inopinato viſus noctеſcere campus,
Proſpectus tolli ex oculis, minuique colores.
Ignari quæ cauſa novæ caliginis Indi,
Se timidi circumſpectant; Cubana juventus
Præcipuè mirata ſuum palleſcere ſydus,
Omen triſte capit: dira infortunia pugnæ,
Vincla, cruces, raptus, lanienas, inde caminos
Jam ſibi divinat. Quem de Cœleſtibus oret,
Ut det opem? tutamen Apollinis? indiget ipſe.
At contra Androphagus tollens interprete faſtu
Pecto-

Pectora deliquio ex illo, fore conjicit ex tunc,
Sceptris tota ſuis ſubdatur ut Inſula Solis;
Turbidus exclamat: nunc nunc in Tartara tempus
Deturbare reos. Præludia certa tenemus,
Cui debent ſontes æternùm vivere Nocti;
Continuent umbras, & ab his trudantur in illas.
En ultrò Dea noſtra, ſoli compage revulsâ
Auxiliaris adeſt. ſociæ dignata venire
In partem palmæ. Solem velut illa fugavit
Æthere, nos pariter Tellure fugabimus hoſtem.
Sic erit: augurium ſequimur non pectore lævo
Diva tuum, ne differ opem. Tu conſule, nobis
Deficiant ne tela; manum præſtabimus ipſi:
Pro Te, nec ſine Te, Cubæ dominabimur unà.
Hæc ait, & fauſtis eventibus erigit agmen.
Quid ſibi non voluit lucri vis ſacra licere?
Cum Superis cauponari non horruit. Ille
Deriſor Divarum, aſpernatorque Deorum,
Hos ubi ſperavit faciles, tunc eſſe putavit.
Ductor at Hiſpanus, ſimul ac nutantia caſtra
Præſenſit. craſsâque labaſcere Relligione;
Nil cunctatus, equo ſubdit calcaria, curſans
Inque aciem ex acie, motus componere vultûs
Majeſtate parat. Splendens lorica, jubarque
Criſtati capitis redimit diſpendia lucis;
Quàque viam ſcindit, ſequitur timor: utque cometes
Triſte rubens, quamvìs formido ſit omnibus æqua,
Plus tamen horrificat crinito ſanguine Reges.
Venit ad Arviragum, trepidantem repperit inter
Primates Cubæ, longe pejora timentes.
Tunc ait: ò mihi conſtantes paulò ante ſodales,
Quis gelidus, ſubitusque ligat præcordia ſanguis?
Tutelare Cubæ quod in Æthere palpitet Aſtrum

Forſitan in cauſa eſt, ideoque refrigerat iras?
Mittite corde metum: nec quem haud dare ſufficit
hoſtis,
Accerſite polo: ſumpto ſemel ordine Cœlum
Sponte fluit, votis nec ſe mortalibus aptat.
Non ſua Cannibalis Nox militat, utque putatis
Sauciat extrà ictum poſitum Titana tenebris.
Nox Solem feriet, quæ carne atque oſſibus orba,
Nullum corpus habet, Solisque abſentia tantùm
eſt!
Quæritis, hæc habeat cur intempeſta diem nox
Diſcite. Luna meat quoties contraria Fratri
Inferiore rotâ, toties tegit obvia Fratrem.
Me ne videretis, clypeo ſi conderer iſto?
Experiamur; & hæc fatus, quem læva tenebat
Elatum clypeum ſuſtentat, & objicit ori.
Utque parum latuit, removens obſtacula, rurſum
Inde loqui: veſtris veluti Me viſibus iſte
Abſtulit injectus, rejectus reddidit umbo;
Sic, interpoſito Lunaï corpore, Titan
Qui modò vos fugit, removente repagula Lunâ,
Rursùm veſter erit. Cum diceret; ecce præalti
Audiri volucrum cantus. redivivaque ſensìm
Apparere dies: quò plus de luce videri,
Hoc magis, atque magis geſtire & plaudere miles.
Sol ubi totus adeſt, tanquam modò factus ab ipſis
Pulchrior exequiis, tantâ dulcedine complet
Mirantes oculos, quantâ perfunditur hoſpes
Italus ex Oriente redux, cum ſuſpicit Arcton:
Cujus ab intuitu paulatim accedere dulcem
Jam putat Europen, natale reviſere limen
Sperat, in abſentes conſumit & oſcula natos.
Dux reduci cum Sole, viris rediiſſe calorem,
Bellan-

Bellandique ſitim ſimul ac adverterat, ore
Verſus ad Arviragum, ſic multò animoſior infit:
Tempus adeſt fœlix, tua quo, clariſſime Regum,
Nata, Americani diadema merebitur Orbis.
Néve putes caſu factum, certamen ut ante
Iſta laborantis Phœbi præceſſerit umbra;
Actum conſilio credas, ut certior eſſes
Quàm victor de Nocte fuit Sol æmulus, & nos
Tam fore victores domitæ de Noctis alumnis.
Non tibi fas animo complecti, maxime Regum,
Quod belli pretium diſcrimine pendeat iſto:
Par habuit nullum de quo contenderit ætas
Priſtina Majorum, nec Mars venturus habebit.
Ortus, & occaſus certè ſi conſcius eſſet
Eximiæ litis, commilito vellet uterque
Eſſe tuus: turmas Aſiæ, Lybiæque videres
Stare ſub his ſignis. Europæ contigit uni,
Per nos tale tuæ Regnum ſubmittere proli,
Quale videre queat Sol cardine ſemper ab omni.
Non erimus Matri indecores: qui ſimus, agendo
Quam primùm noſces. Paucos neu deſpice, ſe ſe
Æſtimat Hiſpanus, non computat: ibit in hoſtes
Coporis immodicos; poſſint caſtella videri,
Carnea dummodò ſint, non ſunt impervia ferro;
Saxea ſint, ferimus tormenta domantia ſaxa.
Numine ſed noſtro, plus quàm mortalibus armis,
Erigimur. Deus iſte, Deus, gravis ultor honoris
Naturæ humanæ, quam veſtiit, eruet iſtos
Humanis ſolitos pingueſcere carnibus; unde
Non modo victores, homines vos eſſe licebit.
  Vix ea; non aliter pubes Cubana loquentis
Excepere ſonos, quàm divinante profatus
Si de cortinâ bellum ceciniſſet Apollo.

Arma capeſſendi calor omnibus incidit; utque
Acriùs evaleant alienæ incumbere morti,
Intrat prima ſuæ cunctos oblivio vitæ.
Mox lituis dare ſigna jubet; vix barbarus haurit
Ex horrore melos, quod non intelligit, eſſe
Invitamentum ſentit certaminis; illo
Audito, reddunt patrio de more boatum
Certatim Caribes, raucis ululatibus addunt
Palmarum crepitus, & ruſtica tympana pulſant.
Nec mora, contortis jacula amentantur habenis.
Non telis conſerta olim nox tanta pependit,
Xerxis ad imperium, cùm momentanea nubes
Exiit Arſacidum pharetris, conata ferire
Ætheris immortale jubar mortalibus armis,
Quanta ſuper campum, Caribum cadit arcubus umbra.
Sæpe ſed ut turbo poſſit cùm cædere durum
Aut apicem Lilybæe tuum, aut tua terga Pelore,
Grandinis hybernæ pluviam detorquet ad Hyblam
Sit quædam potior velut in feritate voluptas,
Iraſci cum formoſis, ſpectare decoras
Chloridis in vultu lachrymas, nigrâque videre
In tunicâ Zephyros circum ſua damna volantes;
Collimare ſagittarum ſic miſſilis imber
Viſus, ubi juvenum flos ævo inſignis & armis
Carpentum Arviragi circum regale coibat.
Clitus erat Regi gratiſſimus inter Ephebos,
Gratior at Phœbo, dederat cui Numen amicum,
Ut certare ſuis coma crinibus aurea poſſet,
Et certare ſuis poſſent ſimul oribus ora.
Ille nec ingratus, modò lecta ex arbore poma
Prima DEO, floresque novos modò ferre ſolebat:
Miro etiam ſtudio tonderet ut illius aræ,
Luxuriantem umbram flavæ cervicis alebat.
Hunc

Hunc anni quoniam prohibent bellare, juvabat
Bella ſono; laudes dum cantat Apollinis, ecce
Ejaculata manu venit Oxidamantis arundo;
Venit, & abrupto rupit cum pectore vocem.
De domino tunc viſa ſuo teſtudo dolere;
Nam poſtquam digitis ſiluit percuſſa remiſſis,
Neſcio quid tremulæ ſonuerunt flebile chordæ.
Corruerat juvenis, licet ipſe miſerrima paſſus,
Nil de ſe queſtus, vertens pallentia miris
Ora modis, junctum lateri reſpexit ad Ilum:
Neu fer opem, dixit (nam viſo vulnere præceps
Ille ferebat opem) fruſtra conaberis Ile;
Nulla ſalus: corpus neù ſit tibi cura medendi.
Unum oro, defende comam; mea non fuit iſthæc
Tempore quo vixi, ſed Apollinis; illius aræ
Debita jam pridem eſt, illique dicare memento.
Dixerat, inque ſinum mnltùm lachrymantis amici
Tondendo capiti dum languida colla reponit,
Illius in gremio vitamque, comamque reliquit.
Aſpicit Oxidamas, geminæque cupidine prædæ
Acriter effervens, utrumque optavit habere.
Nec mora, telum aliud flentem jaculatus in Ilum,
Vitæ fila ſecat, crinalia fila ſecanti:
Impatiensque frui parto, citus advolat, intrat
Obſtantes cuneos, hos pugnis disgregat, illos
Calcibus, impulſuque trabalis fulminat haſtæ.
Nec remoratur iter, donec ſibi tramite facto,
Ad juvenes veniat: ſuſpenſos crinibus ambos
Prenſat utràque manu. Sic unguibus aſper aduncis
Pignora fert ſecum ſpoliati parvula nidi
Milvius, in tuto ſolerti expendere roſtro
Ut queat, illecebras nec præcipitare palati.
Viderat Arviragus curru ſublimis ab alto

Oxidamanta gravem ſpoliis in caſtra reverti;
Nec tulit, attolens ora indignantia Cœlo:
Hæc Titan ſpectare potes, nec concutis arcum
Ultor? ait: tua quos feriet, ſi præterit iſtos
Pœna reos? vili maculare in ſanguine dextram
An ne pudet? ſaltem conatibus annue noſtris.
Sic ait; & nullus quamvis audiret Apollo,
Miſſa ſagitta tamen fert vulnus Apolline dignum:
Recta viam ſecuit, tergoque gigantis inhæſit,
Pervia diffringit coſtas, & in ilia tranſit,
Intremuit campus, cùm tandem neſcius ille
Stare, ruinoſæ procumberet ilicis inſtar,
Pulvereumque pavimentum cervice feriret.
Indelibatæ ſed ne jejunia prædæ
Ferret apud Manes, veterem ſpirantia formam
Quæ manibus ſtringebat adhuc, modò verſus ad Ilį
Ora, modò ad Cliti, nunc hæc, nunc morſibus illa
Inquinat; effuſam ſaniem quin auſus edacis
More latratoris frigenti lambere lingua:
Nec priùs abſtinuit, quam deficiente molaris
Sævitiâ, ulteriùs vetuit Mors rodere mortes.
Dignus apud Manes rabioſum Tydea juxtà
Ringere, Tantaleamque macreſcere ſiccus ad eſcam.
Victor at Arviragus tunc tanta medullitùs hauſit
Gaudia, quanta tulit quondam Jovis inclyta proles
Alcides, cùm Centaurum de Conjuge raptâ
Jam tumidum, jaculo peteret, longèque petitum
Sterneret, exemplumque futuro mitteret ævo,
Fallere depoſitum nullis impunè licere.
Viſus ubi Avanæ poſuiſſe in pulvere collum
Frigidus Oxidamas, furiarum vincula laxant
Accenſi Caribes, non æquâ mente ferentes,
Prima quòd occiderit cervix â Rege ſecunda,
Inde-

Indecoriſque manûs tanti ſit gloria lethi.
E quibus Erceſilas fraternâ junctus ut illi
Proximitate fuit: non ò chariſſime, dixit,
Inferiis cariturus eris: quæ funeris auctrix
Ante tui, riget hæc eadem tibi victima buſtum.
Finierat; nec plura dolor ſinit addere, Fratris
Infixum coſtis confeſtim haſtile revellit;
Mox ſuper extantem ſpeculatus in agmine Regem:
Semivir, exclamat, non eſt de cæde ſuperbâ
Cur adeò tumeas, caſus ignare futuri.
Dona tibi Oxidamas reddit tua: conſule utramque,
Sit ne meâ potior tua dextera: vulnus habeto,
Mox veniet Cubæ Medicus, qui curet Apollo.
Ibat arundo volans, contorta phalarica quanto
Ire ſolet niſu; Regi non pertulit ictum,
Sed ferit adſtantem Dorylum, meruitque petire
Indeploratus, lateri quod Regis adhærens
Turpis adulator, nunquam dimitteret aurem.
Corpus in Arviragi jacti ſpes irrita teli
Aſperat Erceſilan: Te cominùs, inquit, adibo;
Si decepta manus, non hos & crede lacertos
Effugere: hæc dicens illuc veſtigia movit.
Pone ruunt comites facto agmine; noctifer Hypſeus,
Prædatorque Lycon, indetonſuſque Lycamber,
Tercentumque alii; quos adventare Columbus
Ut prope conſpexit, rabidarum more ferarum,
Quo plerumque feræ terrentur, cenſuit igne
Utendum. Tunc Vulcanum diſplodere clauſi
Carceris exoſum latebram, tormenta jubentur.
Mugivere; fragor nondùm regionibus illis
Notus, inaſſuetâ formidine perculit Indos.
Pars pedibus prætentat humum, num ſubter hiaret;
Deſuper anne tonet Cœlum: pars arrigit aures.

Dum trepidi pendent, pila jam deſcenderat ardens,
Perculeratque ſolo Erceſilan, per & hiſpida terga
Decurrens cita flamma, capillorumque vepretum,
Membraque depaſcens, mortemque, rogumque ferebat.
Horreſcunt Caribes lethi genus exitiale,
Inviſumque gulæ, quod non ſinit eſſe cadaver.
Mirari longùm ſed nec data copia; namque
Ære alio excuſſum graviore, volatile ferrum
Majori cum ſtrage venit, ſternitque, crematque
Nicandrum, Exadium, Neſſum, Modonta Fereſtum:
Nilque intermittens de præperis impete cursûs,
Robur in oppoſitæ trabis incidit, inter anilis
Speluncæ truncos viridem ceu Neſtora ſtantem.
Non tamen hìc hæſit clades; de ſtipite fiſſo
Fragmina diſſiliere: cavant huic lumina, pectus
Illi confodiunt. Qualisque reverberat ictus
Luminis adverſi cryſtallus; talis & arbor
Saucia, facta ſuo de corpore miſſile telum
Ejaculatur in adſtantes, ſtragemque per omnes
Tam longè, latèque propagat, ut ipſa videri
Poſſet tormentis jam de muralibus unum.
Vertiſſent tunc terga fugæ terrore coacti
Cannibali, niſi Therodomon horrendus in armis,
Horridiorque ſono, ſuper adveniſſet, & adſum
Adſum, exclamaſſet; retrò quid vertitis ora?
Non norunt Caribes, niſi quem fecere, timorem:
Credite, quos fugitis pejor metus occupat; & cur
Non audent conferre gradum, & conſiſtere contra?
Sanè antiqua hominum denteſque, ungueſque, manuſque
Arma reformidant: genus ô præſtabile belli,
Omnibus atque Indis imitandum! cominùs hoſtis

Vul-

Vultum nolle pati, fortes & velle videri.
Eminùs at bellant, elementumque utile Mundo
In portentificas ignem vertere ſagittas;
At non ingenium ſceleratis proderit: ibo,
Projiciamque ſuis aſſanda cadavera flammis.
Has ne faces fugiam Stygio cantamine factas,
A puero aſſuêrunt cui rauca tonitrua molles
Mulcere auriculas, & lambere fulmina plantas?
Dixerat; Amphitryoniades utque irruit olim
Rupis Aventinæ barathro, nec inhorruit atram
Progeniem, tenebras è nare, ſuoque vomentem
Ore patrem: quin ſi penetraſſet Tartara, Manes
Fixus aduſque ſequi, patruoque oſtendere furem;
Pectore non alio per aperta incendia vadit
Præceps Therodomon: illo præeunte, ſodales
Integrat ira vetus, poſitoſque recalfacit æſtus.
Altior è cunctis ſic qui venit æquore ab alto,
Fertur & ad litus magno cum murmure fluctus,
E tellure recedentes quas invenit undas
Secum aufert, retròque trahit, rabiemque reſarcit,
Surgat ut in fremitum jam deſpumata priorem.
Talis erat facies redeuntis in arma phalangis
Poſt exempla Ducis; denſantur, & inter eundum
obſtat turba ſibi; quæque impedit, adjuvat unà,
Ne credant, petitur quod ab omnibus,eſſe timendum.
Hic verò exoritur clades horrenda relatu,
Hiſpanis gladio, rabido pugnantibus ungue
Cannibalis; iſtos lanionum more videres
Scindere dimidios homines, in fruſtra ſecare
Semineces, vivos & mergere faucibus artus.
Non bene decernes, gula plùs graſſetur, an ira:
Utraque præſidio ſibi ſunt; gravis ira miniſtrat
Nutrimenta gulæ, vires gula, ſuggerit Iræ.

Luxuriare tamen portentoſis paraſitis
Non impune datur; varii miracula lethi
Tunc Europæi dedit ignorantia ferri.
Bilbile progenitus, milesque gregarius idem
Verterat Almirus Scotobuli in corpora ſclopum:
Jamque erat in medio facturus pectore plagam,
Ille manu extensâ ſuperadſtitit, hoſtis & armis
Vi potitur; tamen ignarus, quâ fiſtula ferro
Concinnata cavo diſplodi debeat arte,
Pondus ubi ſentit, baculum, ratus, extulit altè,
Osque tubi in ſeſe, capulum convertit in hoſtem,
Et capiti illidit. Facto impete, tempore eodem
Ecce nitro admotum canis æreus induit ignem,
Exploditque pilam. Cervix diffracta cerebrum
Ejicit Almiri; ſub pectore glande receptâ,
Procubuit Scotobulus humi: ſpoliatur uterque
Lumine, uterque tulit ſolatia mortis ad umbras,
Hoſtem quod victor victi confoderit armis,
Victorisque manu victus dejecerit hoſtem.
Hypſeus ignarus gladii, genus eſſe putabat
Miſſilium, quem mox in viſcera mergere Treſi
Vidit ut Alphonſum, ratus uno in vulnere prorsùs
Abſumptum jaculum, ruit oppreſſurus inermem.
Cæde ſed aſperſum jam dudum à corpore ferrum
Duxerat Alphonſus, venientique obvius ambas
Amputat enſe manus, cæsìm, punctìmque rotato;
Mox ferit & jugulum: trajectis faucibus ille
Mirabundus obit, poſt tot data vulnera, telum
Semper idem, excuſſumque manu nec abeſſe relictâ.
Hæc ibi. Non minùs aſt alibi Vaſilinda, Comesque
Rem Fernandus agunt: non audes dicere, ferro
Vir ne viros, plures an Fœmina vicerit arcu.
Sed nece Fernandus quamvìs inſignis opimâ

Quacunque in galeâ quærebat ubi Alvarus: uni
Ultrices animi furias devoverat, unum
Ni daret exitio, decus omne putaverat infrâ.
Quiqueia de gente procum cum conjuge forti
Viderat hic Lyſum Vaſilindæ in corpus opertum
Cyclade ſtellatâ, curvaſſe volatile buxum;
Penè ſimul vidiſſe fuit, ſimul illius arcum
Fregiſſe atque dediſſe neci dare fata volentem.
Ictus colla ſolo ponit languentia Lyſus,
Et veſtem de goſſipio quam neverat uxor
Non in amore rudis, morientibus inficit undis.
At nil ſollicitus de ſe, de conjuge tantùm,
Ora retrò referens fruſtra conantia nomen
Dulce loqui: dilecta vale, vale (inquit) A...lyſa
Dicere non potuit: vox intercepta loquentem
Deſerit, & mediis obmutuit arida labris.
Ad vocem Lyſi vultum convertit Alyſa;
Utque virum videt exanimem, non fracta dolore,
Cladis in authorem frendens reſpexit, eique,
Quam tunc in procinctu habuit, jaculata ſagittam eſt:
Et foret ulta virum benè fœmina; pervigil Heros
Ni tempeſtivâ repuliſſet miſſile parmâ.
In quam converſus: caderes temeraria, dixit,
A noſtro, ſexus niſi te defenderet, enſe.
Projice tela manu, captivæque indue vultum,
Munus & eſſe datum repures tibi, de Vaſilindæ
Ancillis centum, ſi te ſors fecerit unam.
Arſit ad hæc mulier: non ſum niſi conjugis, inquit,
Ut vivens, illius ero ſic mortua; tuque
Cuncta licet poſſis, ſolùm hoc te poſſe negato,
Forti auferre mori. Dixit, telumque, quod hoſti
Voverat, hoc in ſe vertit, transfixaque guttur
Concidit, exanimem ſuprà delapſa maritum.

Par-

Parte aliâ gravis exuviis, ſectique Draconis
Lucidus in ſquammis, & formidabilis arcu,
Vulgus Ulyſſeum contrà, Hiſpanosque recentes
Fulminat Androphagus: ſcit ſe pugnare lacerto
In quocunque Ducum; tamen inter millia ſolus
Dente, manu, jaculis ſic utitur, æquet ut omnes.
Non longè proſpectat equum, ſuprâque ſedere
Bellatorem equitem; verùm quia ſeſſor, equusque
Nunquam aliàs viſi; cùm tàm concorditer iret
Bellua juncta viro, duo corpora credidit unum,
Semiferumque hominem ſub eâdem pelle latere,
Semihominemque feram. Cupidus deprendere monſtrum
Quale foret, foret anne ſuo ſuperabile telo;
Quo potuit, toto jaculum librat arjete dextræ.
Optatum ſurprà, viſum licuiſſe ſagittæ:
Quadrupedantis in ora venit, parilemque volatum
Inde tenens, Equitis pectus quoque transfodit ipſum.
Ambo deturbantur humo: non gaudia victor
Diſtulit, accurrit naturâ in duplice monſtrum
Viſurus; ſed quod vivens apparuit unum,
Diſcrerat mors ipſa duplex, languere ferocem
Hinc videt alipedem, ſeſſorem cominùs illinc
Exhalantem animam, ſuſpiriaque ægra trahentem.
Gaudet deprendiſſe aliter de gentis Eoæ
Prodigiis, quàm quod rumor vulgarat inanis;
Attollitque animos, quòd in uno, cætera monſtra
Laudata in majus, vinci jam poſſe probarit.
Sed nova res tenuit defixi lumina Regis;
Namque feræ externæ dum partem examinat omnem,
Armos, colla, jubam, laudatque invitus, & horret,
Et putat externum Dominum quoque, repperit Indum:

Quod-

Quodque admiratur magis admirabrabile viſum,
Artemidorus erat, claſſis cui Ductor Iberæ
Gratus ob hoſpitii munus paulò antè recepti
Quadrupedem inſignem phaleris donarat, & enſem.
Utque virum indiciis jam noti comperit oris,
Munus ab hoſte datum ſimul & conjecit utrumque,
Sicut erat; riſu tum lætabundus amaro,
Hæc ait inſultans: i nunc, & primus ad Indos
Proditor, Hiſpanis prædonibus oſtia pande:
Pone Ithacam ex animo, nomenque oblitus avitum
Dic Hiſpaniolam, cui tam dilectus adusque
Vilis & obſequium, nunc hoſpitis utere dono.
Hæc ubi dicta, Ducis moribundi detrahit enſem
A latere: & videamus, ait, ſit idonea telo
Huic quoque noſtra manus, facilisque occurrere venæ:
Nec plura, elatum mucronem in gutture fixit.
Ut jaculatur aquas vitiato fiſtula plumbo,
Emicat & ſaliens talis de vulnere ſanguis.
Quo viſo, cupidus collectæ Martis ab æſtu
Suppeditare ſiti lenimen, hirudinis inſtar
Applicat os bibulum plagæ, potoque cruore
Non aliter fruitur, quàm ſi conviva ſederet
Jam ſatur, Hetruſcæ perfuſus nectare vitis.
Viderat hæc inter Columbus in agmine primus
Fervere Cannibalos ſucceſſu cædis ovantes;
Agmen Equeſtre movet, præit ipſe, ſequuntur euntem
Unà omnes effuſi Equites, Rodericus, Arubal,
Didacus, Erneſtus, Radamiſtus, Amilcar, Orontes.
Quid vobis Caribes nunc veſtra immania proſunt
Membra? quid à patriis avulſæ quercubus haſtæ,
Armaque montanis detracta, feriſque marinis;
In vos ſi veſtri pugnat natura Coloſſi,

Ut ſpatioſa magis, ſic & magis, obvia, ſtrictis
Offendi gladiis, & neſcia fallere ſclopos?
Qualiscunque Equitum ferro lethalis, & igne
Plura trophæa refert, potuit quam pulvere Phlegi
Aut jaculo Phœbus numerare, vel ægide Pallas.
Nec ſeſſor qui portatur tantummodò pugnat,
Et pugnas qui portat, obit: velut ipſe ſit idem
Ac Eques, illius cervice æquare gigantas
Non modò turgeſcit; ſed ut altior extet iisdem
Dat ſaltus, Equitemque ſuper capita ardua defert:
Tantaque mobilitas rapidi Curſoris, ut alter
Credi Bellerophon, mereatur Pegaſus alter.
Attamen è cunctis belli cervicibus ibat
Celſior, Auriâ comitante, Liguſticus Heros;
Illâ teſte manus Ormiſtæ abſciderat, Orphneo
Brachia, Nictolatræ tergum, caput Euridamanti.
Venerat & quò Therodomon circumdatus alto
Aggere cæſorum ſtabat: meſſoris ad inſtar
Sole ſub ardenti, qui non infractus ab æſtu,
Sed ruber, & ſcabrâ de fronte fluentibus undis,
Inter opus caput attollens, de parte reciſæ
Quantùm lætatur Cereris, tantùm anxius inſtat,
Spemque recidendæ ulteriùs violentior urget.
Ergo ubi conſpectis jam pridem inſignibus oris
Notum Heroa venire videt; licet ipſe pedeſter,
Ille ſederet equo, non abnuit obvius ire.
Clamat: ades prædo, votorum ſumma meorum,
Hujus habere cupis ſpatium telluris? habebis;
Sed quantùm liceat tenuiſſe cadavere ſtrato.
Quæ petis, à noſtro dabimus connubia Mundo;
Auriam dimitte tamen: licèt ipſa repugnet,
Ibit ad Androphagum prenſis raptata capillis.
Atropos una manet te pronuba; ſi potes iſti
Indul-

ndulge uxori, ſeriemque ordire nepotum.
ſed quid ego intueor! non intrà ſepta domorum,
Hæc latet, ut decuit, ſtudiis operata Minervæ;
Frontis at immemorem, Matronalisque pudoris,
Extorris mœchi puduit non eſſe ſequacem.
Hos animos mulier! lætor tamen; obvia præda
Quòd veniat, bello nec ſit quærenda peracto.
Hæc ubi dicta dedit, quoniam os immane Draconis
Altæ inſtar galeæ ſummâ cervice ferebat,
Acri objectat equo; majoris imagine monſtri
Territus hic retrò ſe ſe dedit, & rapit unà
Seſſorem, factoque attollit in aëra ſaltu
Extemplò ſilicis ſubtilis acumine falcem
Conſertam, quacunque acie magis enſis acutam
Barbarus expediit: niſu mox corporis omni
In Ducis Hiſpani caput excutit. Ille reducti
Corporis in ſellam flexu celer effugit ictum;
Quadrupedis collo tamen incidit, avulſumque
Non aliter cecidit, quàm ferro ſaucia vitis,
Solvit ubi amplexus viridi ſejuncta marito.
At nil inſanas vires expalluit Heros:
Emicat in terram, ſtrictoque mucrone coruſcus,
Cum clypeoque minax, inimico à ſanguine pœnas
Ibat ut exigeret. Jamque exegiſſet, Amazon
Proxima, ni viſo diſcrimine, factaque fidi
Tutoris tutela ſui, violenter in hoſtem
Therodomonta citaſſet equum: qui fortiter uſus
Præſidio frontis, cornu inclinarat acutum;
Inde virum contra direxerat, abdideratque
Intra animam: ſpatiumque adeò patefecerat atri
Pectoris, ex illo ſpectari ut viſcera poſſent.
At Sonipes jacta in Dominam convicia tanquàm
Ulci-

Ulciſcendi avidus, crebrò deforme cadaver
Calce ferit preſſans, inſultat & ungula linguæ.
Frontis uti caveam ſenſit Polyphemus inanem,
Nutabundus & hàc, deportabatur & illàc,
Parte ſui potiore carens, quemcunque coactus
Commendare gradum baculo, jugique dolori
Vivere, ſubſidio tenui ſolandus avenæ;
Sic & Therodomon caput ingens, militiæque
Lumen ut extinctum eſt, exercitus ille gigantis
Paulò ante in molem viſus coaleſcere, cœpit
Hùc ferri, atque illùc palantibus undique turmis.
Protinùs Androphagi rumor delatus ad aures,
Nunciat, Auriæ manibus cecidiſſe potentem
Therodomonta; illam propter decernere turpem
Rivalem, præbentem animos, auſumque puellæ.
Præcipitat, quò fama, dolor, pudor, ira vocaba[t]
Quidquid & in Cubâ, delatæ quidquid ab Euri
Cardine gentis erat, Nemeſi non ſufficit uni.
Et jam præcipiti curſu, quo pugna calebat
Venerat; utque locum circumſpicit, obvia primùm
Alicorne ſedens Auria refulſit, & illo
Tempore, quandoquidem ſpoliis ex hoſte relatis
Lætior extabat, patuit ſe puchrior ipsâ.
Penè tamen viſa eſt, incanduit illius ore
Mixtus amore furor: volat acti vulturis inſtar,
Aut rapere invitam, aut certæ demittere morti,
Juratus ſua ni fieret, nullius ut eſſet.
Obſtitit audenti Columbus, & objice facto
Corporis oppoſitu, ſpectans interritus hoſtem:
Ante per hunc, dixit, fiet tibi tranſitus enſem,
Barbare, quàm liceat Regali accedere Nymphæ;
Et cuſtos, & Eques, ſi neſcis ruſtice, Divæ
Hujus Ego, ſit & ipſa parùm licèt indiga noſtri.

Scire

Scire ne poſcis hebes, quæ ſint in Virgine vires?
Conſule quid fecit. Dixit; monſtratque jacentem
Therodomonta ſolo, mox talia fervidus addit:
Cubanam qualis venit Legatus ad Urbem,
Ut meruit, talem victrix Auria recepit.
Nomen ad Auriæ; non ſic venabula contrà
Erigitur percuſſus Aper, velut æſtuat ardens
Androphagus, torvoque oculo dimenſus Iberum
Reddidit: ô ſordes, & non tolerabile Mundi
Ejectamentum pariter noſtrique, tuique,
Non eſt, cur vanæ vendas præſtigia genti.
Qui commenta reſolvat, adeſt: tua ſtamina primùm
Improbe diſtringam; tua mox, muliercula, Reges
Ferre indigna procos, & ſanguine degener Indo,
Serva latronis heri: diſce hoc à vulnere qualem
Liqueris imprudens, qualemque ſecuta Maritum.
Hæc ubi dicta ferox flammato pectore fudit,
Maxillam de Balænâ Oceanitide ſectam
Tollit utraque manu, mox impulit: impulſumque
Non tuus, Ænea, nec qui te ſepſit, Achille,
Umbo tuliſſet, opus fabri licèt eſſet uterque
Pernoctantis ad incudis tormenta Sicanæ;
Umbo datus majore Deâ tulit integer ictum.
Exarſere tamen qui cælabantur in ære
Hiſpani Reges: credas ad vulnera læſos,
Perque minas oculorum, erumpentesque favillas
Teſtari offenſam; populis documenta daturos
Velle coli, metuique vel ipsâ in imagine Reges.
Non ita ſed clypeo ſe ſe defenderat Heros,
Poplite quin flexo caderet: videt ille minorem,
Et cecidiſſe ratus, ſe corpore præcipitem dat,
Pondere ut obrueret, ſuffocaretque jacentem.
At non tardatus caſu, ſed qualis ab Euro

Inclinat veniente comas, iterumque Cupreſſus
Erigit, extulerat ſe ſe bellator Iberus:
Obvius it, ſtrictamque aciem mucronis adacti
Objicit. Androphagus cùm ſe revocare ruentem
Non queat, occurrit venienti in pectora ferro.
Adjuvat extemplò Columbus, & impulit enſem
Altiùs: & nè deciduâ ſub mole prematur,
Declinat caſum, gladio ſub corde relicto.
Labitur ille ruens, dum ſtringere credit hianti
Ore hoſtile caput, manibusque elidere fauces.
Pectore pulſat humum: ferrumque ut pectore fixum
Stabat adhuc, imos capulo tenus intrat in artus;
Mucro nec adverſo, rectus licèt, exit ab armo,
Sed latet intra animam, nec ad extima pervenit impar.
Tum dolor, & longè gravior pudor ipſe dolore
Incendit furialem animum: tellure reſurgit
Ocyor Antæo, raptumque à vulnere ferrum
Eruit; utque rudis, quâ tela rotare ſolebat,
Hac gladium ratus arte regi, jaculatur in hoſtem.
Dexteritas ſed mira Ducis per inane volantem
Arripit indemnis capulum; niſi veriùs, enſem
Credimus in dextram Domini voluiſſe redire.
Jamque paratus erat plagam inſtaurare ſecundam,
Non opus eſſe videt, ſibi namque vacare coactus
Barbarus, undantem de vulnere proſpicit amnem;
Conatusque manu fugienti obſiſtere vitæ,
Nil peragit, pingues alieno ſanguine venæ,
Jam reddunt, mittuntque ſuum: tunc corpore ab illo
Viſæ omnes exire animæ, quæ tempore longo
Viventis clauſæ fibris odere ſepulchrum.
Debuit in terram devexo pondere labi
Multò ante abſumptis jam viribus, ira ſed illum
Stare

Stare jubebat adhuc; donec vitalis adempto
Paulatim ſucci fulcimine, concidit algens
Machina, concuſſitque ſolum, tremefactaque longè
Inſula Cannibalûm ſonitum dedit, & ruere unà
Viſa comes, ſupráque ſuum procumbere Regem.
At velut Enceladum ſimul ac videre gigantes
Tollentem centum clypeos, & brachia centum
Igne Jovis potuiſſe mori, fiducia fratres
Deſtituit, Superâ longè virtute minores
Se faſſos, animâque omnes in principe victos;
Non ſecùs Hiſpani poſtquàm Jovis occidit enſe
Turriger Androphagus, gelidus pavor alligat artus
Cannibalûm: dant terga fugæ, fugientia ceſſat
Cædere vulneribus nec terga flagellifer Heros.
  Hæc inter, velut è ſpeculâ, de nube cavatâ
Prælia ſpectabat torvâ cum Marte Duellum,
Ambo hilares: campum videat quòd cæde natantem,
Elyſium Bellona putat; non filius æquè
Ac genitrix prægeſtit: uti qui vulnera nondùm
Docta magiſterio duplicis conſpexerat enſis,
Nec par protulerat, cujus certamine viſo
Indus hebes poſthac ſub Tartara diſceret umbras
Mittere patricias, ariſque litaret Honoris.
Ergo voluptatis jam prælibare cruentæ
Gaudia ſollicitus, conferta per agmina vultum
Terque quaterque rotans, veſtigat lumine, quanam
Parte tonet Fernandus: opertum pulvere ſpectat,
Spirantemque neces, impacatumque quòd hoſtes
Inter mille datos Erebo, non invenit unum.
Nec ſatis hunc vidiſſe fuit, videt & Vaſilindam
Illius hærentem lateri, jaculiſque viriles
Æquantem niſus, majoraque vulnera ferri.
Huc maturat iter; ſed non priùs audet adire,

Androphagi armigerum quàm ſe ſimulaverit eſſe:
Induit os, mores, ætatem, inſignia, vocem;
Mox adit. Ut venit, medius ſtetit inter utrumque;
Tùm gemitus ducens, & reſpiramen anhelæ
Affectans faucis, cursûs velut impete ductum:
Sanguine plebis, ait, quid tempora perditis ambo?
Occidimus: jacet Androphagus, necis Alvarus author.
Germani ſi cæde Soror, ſi tangeris ultor
Nate patris cæſi, duce me, ſpectare licebit
Putre ſolum, quo fumat adhuc regale cadaver;
Victor ibi ſuper aſſultans, & adultera victrix
Ingeminant plauſus, quòd jam rivale perempto
Sit ſimul & Regno, ſit fas & amore potiri.
Dixerat, afflatuque jubet propiore calere,
Quos monet. Haud dictu facile eſt, ad nuntia plus ne
Fernandus doleat, lætetur an hoſte reperto.
Nulla mora eſt (inquit) venio, ſequor, & fruor unà
Quòd tot vindictæ titulis acceſſerit ultrò
Rex ulciſcendus; meus eſt, debetur & enſi
Huic, homicida patris. Cuperem fidiſſima ſolùm
Nè comes ambigui casûs Vaſilinda venires:
Pone modum geſtis, partum tibi laudis abundè.
Objectare caput telorum incurſibus ultrâ
Non licet, & ſævo Reginam includere ludo.
Ex quo Germanus ſibi vivere deſiit, Ipſa
Vivere deſiſti pariter Tibi: publica rectrix
Es modo, vive aliis, & Regni conſule ſummæ.
Arſit ad hæc Virgo, confeſſaque vocibus iram:
Me ne igitur ſociam potioribus addere factis
O Fernande fugis? Seu Te victoria, ſeu mors
(Quod nollem) maneat; par me fortuna manebit.
Viceris; eventûs fructu gaudebimus unà.

Vin-

Vincéris; viden' hoc? inimica in corda paratum,
Me perimet jaculum, campoque jacebimus uno.
Scilicet Arviragi proles præpoſtera, vitæ
Larga, metus inter lateri comes ibit amantis;
Decedet Vaſilinda tuo? pugnemus oportet
Unanimes contrà unanimes: par illud amantum
Fas illud ſuprà generoſius emineat, cui
Plus & amoris erit. Potior te cura fatiget
Expugnare marem, noſtræque relinque pharetræ,
Exigat ut meritas ſceleratâ pellice pœnas.
 Vix ea: ſipario ſpiſſi aëris induit ambos
Armiger obſcurus; quos per compendia poſtquàm
In loca deduxit, tùm denique tegmine dempto
Nubis, & armigeri, ſe cum bellantibus unà
Infert innumeris: cernit, nec cernitur ulli.
Fernandus ſimul ac diversâ parte locatus
Conſtiterat, per caſtra oculos circumtulit, uni
Intentus, nec adhuc, quem poſtulat, aſpicit unum.
Spectat palantes Caribes, hos voce, manuque
Arguit, in pugnam ſecumque reducere tentat.
At Vaſilinda Deæ ſimilem, non longiùs à ſe
Viderat Auriam, tunicâque, armisque decoram.
Nùm foret, ignara eſt; ſed quam non viderat unquam,
Hanc tamen eſſe putat: ſic illam credere miri
Bellua candoris, notâ celeberrima famâ,
Paucis viſa licèt: ſic os habitusque jubebant.
Occurſu gaviſa, legit de mille ſagittis
Unam continuò, quâ nulla paratior arcum
Audiat; attollens ſolito nec more precantum
Ad Cœlum vultus, ſed ſupplice voce deorſum
Demittens oculos: ô quæ modò viſcera Terræ
Nox habitas, ſi viſa tuis ſum tempus ad iſtud
Digna miniſteriis, ſi Te præponere Soli

Non metui; Tu Diva manum, Tu dirige telum
Corpus in Auriæ, vivo quæ nubere Fratri
Non meruit, nubat cineri: cadat ante latronis
Infames oculos. Spolium tibi divitis oſtri
Illud idem deferre paro, quod perfida conjux
Induit: hoc longè melius tua veſtiet Icon.
Hæc ubi, quâ valuit non evitabile telum
Arte relaxavit. Non omni ex parte petenti
Viſa Dea annuere eſt; calami ſtridore volantis
Scilicet admonitus Sonipes, de pondere tantùm
Præmetuens, ſpretorque ſui, jam crura levarat
Arduus in ſaltu: venit haſta, nec attulit ictum
Virginis in collum, collum percuſſit equinum.
Senſit equo inflictum vulnus pharetrata Virago,
Quâque manu emiſſum, nec tempora diſtulit iræ.
Tam citò, tam ſcitè, graviterque, dolore magiſtro,
In jaculatricem jaculum contorſit; ut illa
Ante jaceret humi, quàm ſaucius Alicornis:
Qui ſtandi invalidus, non quò natura trahebat
Ponderis, in terram pronis ruit artubus actus;
Senſim crura ſolo languentia ponere viſus,
Tanquàm ſollicitus, Dominam nè læderet, eſſet.
Auriæ laturus opem properaverat ardens
Columbus; ſimul ad Vaſilindæ funera præceps
Fernandus: dumque hic homicidam Virginis, ille
Quærit equi percuſſorem, ſibi mutua vertunt
Lumina. Columbus vultum venientis in illo
Hoſtis cùm videat, putat eſſe ex hoſtibus unum:
Miraturque tamen, quod non armetur ut Indus
Arcubus & jaculis, Hiſpana ſed induat arma.
Qualiſcunque foret, manet imperterritus, hoſtem
Opperiens, firmatque gradum, clypeoque tegit ſe.
Fernandus poſtquam ſævi manifeſta doloris
Signa

Signa recognoſcit, tunicati pectoris aurum,
Enſis ebur nitidum, clypeique notabile textum,
Quæque Toletanas caſſis regit aurea turres,
Alvaron inveniſſe ratus: Te perfide tandem
Aſſequor, exclamat; non eſt de Virgine cæsâ,
Deque triumphato Androphago cur vane tumeſcas,
Pœna luenda modò eſt: tua non hæc arma, nec enſis
Iſte tuus, domino reddas, ignave, neceſſe eſt.
Frendit ad hæc Heros: mentiris & improbe, dixit,
Quiſquis es; Androphagi Manes ſi forſan adempti
Huc ultum venis, depone tumentia vota:
Reſtat in hac dextrâ poſt tot data funera tantum
Strenuitatis adhuc, quod Te quoque, perdite, perdat;
Mittat eóque loci, quo Rex tuus indigus auræ,
Inter Cannibalas, plebeja perambulat umbra.
Quin ſimul his armis, quorum geſtamen inepto
Eſt oneri, ſpoliare paro: ſpectemur agendo,
Ultor qui melior, Tu Regis, an Ipſe meorum.
Hunc nec plura loqui rabies, audire nec illum
Plura dolor patitur. Concurritur: ante favillas,
Inde dedere ſonos collata ferociter arma;
Non tamen incautè. Scires exordia pugnæ
Non ab inexpertis tironibus artis obiri.
Scilicet hinc illinc clypei par uſus, & enſis,
Parque magiſterium dextræ ſeu vulnera dantis,
Sive repellentis: primis quos acer ab annis
A patre magnanimo joculariter hauſerat ictus,
Reddebat genitus, non hos edoctus in uſus.
Multa inter ſe ſe certatim vulnera miſcent,
Attamen incaſſum ſemper: damnoſa juvabat
Ars ſua pugnaces, cùm gnaviter eſſet uterque
Quàm dare vulnus, idem tam declinare peritus.
Ergo ubi nil parilis valuit ſapientia ferri,

Implicuere manus manibus : non grandine tecta
Sic ſaliente ſtrepunt, curvisque nec alta caminis
Sic tonat ad numerum cruciata gigantibus Ætna ;
Ut plagæ auditæ bellantum pectora circum
Attritu umbonum, loricarumque ſonare.
Sæpe parens nato ſcutum abſtulit, ille parenti,
Armaque mutarunt, repetitaque fortibus æquè
Niſibus, in Dominos iterùm rediere priores.
Urget utrumque ſtupor ; miratur grandior ævo,
Quòd gladio Tiro ſic ſe tueatur, & ultrò
Provocet inſultans, ut credi poſſit ab ipſis
Parthenopes rude donatus veniſſe Lycæis.
Fernandum nec habet minor admiratio, fortis
Luce palàm valeat quod proditor Alvatus eſſe,
Nec timidum faciat deprenſum culpa latronem.
At fruitur præſens, contemplatorque Duellum,
Audiat iratos fremitus quod ſtridere, quódque
Per galeæ rimas odia erumpentia cernat:
Diſplicet & ſolùm quòd adhuc eat arida pugna.
Differri ſcelus impatiens accedit, & adſtans
Fernandi lateri, quo tempore fervidus ille
Ora petitoris furioſiùs impulit enſe,
Adjuvat impulſum ferientis, & addidit una
Vim dextræ, nervumque ſuæ. Duplo impete ceſſit
Buccula diſſiliens, ferrataque vincula rupit,
Oſtenditque Patrem Nato ; Genitore reperto
Mentis inops, rupes ut frigida Filius hæſit.
Illius ad plantas damnatum projicit enſem ;
Mox avidus noſci, celatos caſſide vultus
Exertans : vivis ne Parens ? exclamat, & ardens
Ibat, ut injiceret dilecto brachia collo.
Columbus greſſum retrò tulit, oraque Nati
Atra tuens : removeto gradum, mihi Filius olim.
Occi-

Occidit, adjecit, qui non erat oris & hujus.
Hic te Cannibalum color arguit, & niſi fallor,
Iſtâ, quam præfers, pietate ſceleſtior extas.
Redde manum capulo: reddam, ſuperaddidit ille,
Pectus in hoc, ferrum tamen iſtud ut altiùs abdam.
Sons ego ſum fateor, nulla & non pœna ſceleſtò
Debita (me miſerum!) quòd Patrem penè peremi.
Nec ſatis excuſat furias inſcitia noſtras;
In me verus amor, pietas ſi vera fuiſſet,
Noſcere debuerat clauſum vel caſſide Patrem.
Quare age: quandoquidem ſic præcipis, enſe nefando
Utar, iniquam animam quamprimùm ut corpore ſolvam.
Et ſi firma parùm manus eſt mea, fortior Ipſe
Vulnus fige tuâ. Vix hæc, thorace retecto,
Nudum aperit pectus. Stabat ſub pectore vulnus
Sat notum Patri, factumque à cuſpide Maurâ:
Quod ſimul inſpexit, pellis ſimul intima viſa eſt
Candida, quâ partus formoſa Liguria veſtit,
Paulatim cœpit frigeſcere ſpiritus, ira
Leniri, admitti pietas. Narrare parabat
Filius, Hiſpanos contrà cur ſigna ſecutus
Cannibalûm fuerit, cæſi Patris eſſet ut ultor
Alvaron adverſus, quem fama ferebat Iberæ
Jam Claſſis Dominum Cubæ ditione potitum;
Mens erat & diræ facinus producere noctis,
Quâ conjurati veſania militis arſit,
Auſa ducis jugulum temerando poſcere ferro,
Mox & naufragium velut evitaverit ipſe,
Quà ſub aquis, quà ſub terris à præſide Divâ
Comiter acceptus, quâ denique Virgine factum,
Pellis ut indueret nigrum priùs alba colorem;
Non tulit impatiens Genitor tam fortibus ultrà

Indi-

Indiciis pugnare, ſuoque obſiſtere cordi:
Cur inſperatos, clamat, chariſſime, noſtros
Differo complexus? non Tu meus eſſe negari
Nate potes. Tibi quam toties & fletibus unxi,
Et palmis lavi, fovique ſalubribus herbis
Noſco cicatricem; per & hanc mihi tranſitus in cor
Rectus adeſt, per & hanc immitto lumina, Teque
Cor ait eſſe meum, facies ſi denegat eſſe.
Tè ne igitur præſtantem animis, & corporis auctum
Viribus accipio, quem temporis hujus ad horam
Neſcieram gladione fores ſublatus, an undis?
Te certè abſumptum penitùs, nullumque putavi.
Qualia (proh Superi!) momentum congerit unum
Gaudia? Terra mihi fuerat quæſita per undas,
Terra reperta nova eſt; terris reſtabat ut hoſtis
Inde domaretur, terris ſuperavimus hoſtem.
Mors tua ſola meæ minuebat gaudia ſortis;
Tu tamen incolumis modò redderis, ô mihi terris,
Fluctibus & domitis, & charior Orbe reperto.
Sic ait, & dextras avidas paulò ante cruoris
In melius vertére: datis amplexibus ambo
Colla ligant, miſcentque animas, quantúmque prior
Certatum eſt odio, tantùm modò certat uterque
Nè minor officiis, & nè videatur amore.
Dumque parant ambo ſociatis viribus ire
Cannibalos contrà, belloque imponere finem,
Bella peracta vident: de totque phalangibus atri
Veſperis abſumptæ partim, partimque fugatæ,
Fuſæ omnes. Quid jam Ligurum Tibi maxime reſtat
Optandum? Veniat quam primùm Hetruſcus Jaſon,
Oceanum Hiſpano juſſum ſervire Leoni
Intret Americus, tua per veſtigia Cubam
Naviget; Hic Nympham, quam Tu prænoſcere primus,

:imus & ex Erebi ſubducere faucibus auſus,
ucat in uxorem; magnoque à Conjuge Conjux
egia, nè tantùm ferat indelebile nomen,
randis Americæ pariter cum nomine ſumat
otale imperium: poſſit dos parva videri
le plaga detecti Occaſûs, accedat & Ortus.
At me jam dudùm defunctum finibus Indis,
emiferina inter Caribum commercia, voces
edoctum Latias, & barbara verba ſonantem,
uadet amor quaſſam curſu revocare phaſelum
ybridis ad ripas: ubi, poſt duo luſtra reverſus,
ulcibus expector vix agnoſcendus amicis,
aſſus crine ſenem. Jam me gratiſſimus amnis
ccipit averſo labentem gurgite; noſco
eptatam geminis à Fundatoribus oram,
ltricisque Lupæ caveam: gradiorque ſub umbrâ
Heliadum, quas digrediens arbuſta reliqui.
En & Aventini rupes Evandria Romam
Jam reddit, Romamque aliam mihi PRINCIPE in uno,
Quo mandante dedi, pelago dare lintea juſſus,
Et data jam replico. Salve India: Tuque valeto
Janitor Antipodum, longè meliore canendus
Ære tubæ. Si danda fides & vatibus ulla eſt,
Si nec erit meritorum ætas oblita tuorum,
Nec ſteriles hederæ, nec erunt ſine honore Camœnæ;
Vaticinor. Grandi Tibi ſe qui temperet ore
Nec minor arte, ferent venientia Sæcula Vatem;
Ferre ſed Heroëm qui Te virtutibus æquet
Sæcula deſperent, condat niſi Conditor hujus
Orbem alium, veniatque novi novus inde Repertor.

*FINIS.*

# JOSEPHO
## ARCHIDUCI AUSTRIÆ.
## GENETHLIACON

In Aula maxima Collegii Romani dictum.

*Eminentiſſimo Principi*

## CAROLO PIO

S. R. E. Cardinali Regnorum & Provinciarum hæreditariarum Auguſtiſſimæ domus Auſtriacæ Protectori

Sacrique Romani Imperii & Inclytæ Nationis Germanicæ Comprotector.

*Ubertinus Carrara felicitatem.*

*Epici Carminis Majeſtatem nulli magis aptari Fas eſt Eminentiſſime Princeps, quàm Cæſarum Laudibus. Maximos inter mortales id ſcribendi genus potiſſimum decet, quod in Poëtica maximum eſt. Omnes hìc ego Auſtriæ Cæſares miſcui, ut è cunctis unum facerem, omnibus parem, qui non opus haberet ad pueritiæ Rudimentum Exempla quærere extra ſuos. Genethliacon igitur, quod auribus jam pridem tuis exhibui, nunc etiam oculis reddo tenebricoſum quidem opus ingenii, & nec luce dignum, nec proli ſereniſſimæ conſentaneum. At quem-*

*quemadmodum poſitis ad naſcentem diem Indiæ populis, tamen in corpore color noctis eſt, ita ab Auſtriæ ſole recenter exorto, tenebræ in carmen inductæ, ad magnitudinem lucis Apolline caligante. Verùm hoc ſaltem titulo fore tibi non ingratum confido, quòd Auſtriam loquitur, cujus triumphis vel extra Bellum viſus es militare in fratris dextera toties Victrici, quem noviſſimè raptum? ne dicam à flammis, an conſecratum? lugendum negâſti, invidioſum reputans mori pro Cæſare, non Lamentabile. Certâſtis igitur ambo de Conſtantia mentis nobiles animæ; ille nec mortem ferre fortius poterat, nec tu dolorem. Accedit, quòd ex æquo arduas ipſe in pace curas ſic adminiſtras eloquio, dexteritate, conſilio, ut ſatis liqueat, ad Auſtriæ gloriam non minus te prodigum Sudoris, quâm ille ſanguinis fuerit. Plura dici de te idem ipſe vetas, ubi dicendum de Cæſare, nec has modicas licèt admitteres; niſi & iſtæ in laudem Principis cederent. Vale.*

Naſce-

NAſceris ò longum populis votum ! Alta propago
Auſtriadum ! quos Cæſareos plus quâm omnia Regna,
Mens Auguſta facit ; quàm plenus imagine Patris
Occurris ! noſco geminas in vertice flammas,
Vagitúmque gravem ; qualem fudiſſe deceret
Dictæo ſub monte Jovem ; Ne claſſica belli
Audiri prohibete ſonum, velut horrida quondam
Tympana Curetum, Corybantiaque æra fragorem
Edere certabant, per linguæ exordia primæ
Jupiter ad tonitrus cùm jam præluderet Infans.
Vagiat Auſtriacus Cæſar, vagitus in hoſtes
Plus poterit, quàm mille tubæ; det murmura labris
Fervere Germanos coget, palleſcere thraces
Plus pavidos, quò plus quærent celare pavorem.
Quod Poteras ſperare,tenes Europa; timere
Quod poteras Othomanne, times; de Cæſare nato
Sollicitus, ne quære tua præſagia Delpho ;
Scire potes bellis genitum, quem bella dedêre ;
Scilicet audito lituorum murmure partus
Teutonicamque ſonare tubam ; genitrice relicta
Emicuit, fremituque rudi clamavit : *ad arma*.
Forſitan & Patris jam feſtinâſſet ad haſtam,
Mollia ni teneras arctâſſent vincula Palmas.
Tu modo blande Puer, cui toto munus ab orbe

Navi-

Navigat, è vitreo delectæ gurgite Gemmæ
Cui veniunt tereti meditata crepundia collo,
Inſutoque graves auro cui Roma laborat,
Faſciolas, multóque ſonat cruciata Cyclope
Lamina, qua lateris cuſtos effulgeat enſis;
Gaudeat & gracilis properata caſſide cervix;
Noſtræ etiam munus non dedignare Camœnæ,
Quæ tibi dum ſeriem veterum monſtrabit avorum
Exemplis creſces, & lacte fovebere Patrum.
Forte acies geminas geminum diviſit in orbem
Auſtria, Hyperboreásque videns hinc Cæſaris arces,
Hiſpanas illinc, quis me felicior, inquit,
Quæ ſuper Auroram, ſupremáque Memnonis arva,
Et ſuper Atlantis metas mea regna relaxans,
Auſtriacum feci ſolem, quascunque per oras
Ætheris ignotus nobis, vel cognitus errat,
Cogitur eſſe meus: mea gloria currit utroque
Sydere, quin ſonitus metuendi nominis intrat,
Quò ſol ire timet; ſed non hæc maxima laudum eſt,
Quæ veniunt extra, vix inter noſtra repono,
Et jactare pudet; Fortuna accepimus Orbes,
Auguſtos dedimus; Vos me mea clara Propago,
Vos Dominam facitis, Borealis lumina Mundi
Alberti, Caroliquе, & Nomina magna Rodulphi,
Fernandi, Friderici; & tu Maxime Regum
Terrarumque caput Leopolde ingentia Regna
cujus fama poteſt, ubi deſint arma, tueri.
Eſt tamen, unde querar, nam feliciſſima matrum
Cum ſemper fuerim, tantorum cincta Nepotum
Agmine, ut obliquo me lumine Roma videret
Prole ſuperba ſua, & pluſquam Berecynthia felix;
Cæſareo modò de populo vix unica reſtat

Cer-

Cervix, quà moles regni inclinata recumbit.
Quamvis ſi ſolum præſentia pendere vellem,
Nil mihi fas eſſet de te fortuna dolere.
Penſat enim numeri damnum, qui præſidet unus.
At ventura movent: neque enim mihi parvulus Hæres
Ulnis ludit adhuc, qui mox creſcentibus annis
Fulciat Herculeis Genitorem Atlanta lacertis.
Hunc ſuperi dederant, quem dum complexa fovebam
Imperio, ut florem vernæ favor educat auræ
Nympharum decori; ſuperadſtitit invida Clotho.
Tunc mea fortè puer pendebat candida circum
Ubera, tam ſimilis matri, ſimilíſque Parenti,
Quàm ſibi, quem ſimul ac vidit, rapit effera (quin nec
Viſum morte reor) nam ſi vidiſſet, amâſſet
Vel Lacheſis, feritas & delinita fuiſſet.
Cæca igitur librata manu volitavit arundo,
Vulnere quæ geminas animas trajecit in uno;
Dilectum Infantem vitalibus abſtulit auris,
Méque mihi: Riguêre labris tunc frigida noſtris
Oſcula, ceu pueri facies mea palluit æquè;
Omnibus ægra modis, expers, miſerandáque flebam;
Hoſtibus ipſa meis poteram quoque flenda videri.
Ex illo ſeries non interrupta malorum,
Acceſſit Matris mox lamentabile funus,
Cæſaris inde ſalus, pudor heu! tentata veneno,
Sed ſileo: menti vel tutæ immania facta
Sunt metuenda tamen; pars eſt meminiſſe doloris.
Vos modo Teutonico vigilantia Numina mundo,
Quem tempeſtivum forſan rapuiſtis Olympo,
Si quid vota valent, Leopoldo reddite Natum!
Altera ſi Conjux nunc eſt, ſit & altera proles;
Debita quæ fuerant illi, huic date tempora vitæ,

Addite quin vitæ cum tempore tempora famæ,
Finierat, Cælúmque tuens immota ſilebat;
Cauſam vultus agit, lacrymæque per ora volutæ
Neſcio quid verbis majus potuêre mereri.
Protinus ex alto demittitur Æthere Diva
Arbitra Regnorum, quæ conſolantia verba
Diceret, illa volans, ubi conſtitit Auſtria, venit,
Quóque magis poſſent mortalia lumina contra
Stare Deam, poſitos circùm capita alta nitores
Exuit, amplexúque dato, ſalve Auſtria: dixit.
Illa ego divinæ ſum mentis filia, rerum
Maxima molitrix, ignoto nomine vulgus
Quam fortuna vocat; diademata demere Regum
Frontibus, ac donare meum eſt, me Regna jubente
Surgunt, méque cadunt, nec ſic mortalia verſo,
Ut, ſi felicem muto de paupere: tunc me
Pœniteat feciſſe; placent, ſempérque placebunt,
Quæ placuêre ſemel, cui ſola placere neceſſe eſt
Optima; libertas, nec ob id vel ſumma poteſtas
Creditur eſſe minor; mea me decreta coërcent,
Quod non poſſe volo, ſolum me poſſe negabo.
Romanis rerum Dominis donavimus olim
Terrarum Imperium, noménque potentis Juli
Miſimus è ſtirpe in ſtirpem; priùs alta Neronum
Gens tulit, excepit mox Flavia, deinde rotatum eſt
Per varias regum diadema volubile frontes,
Auſtriadum æterna donec cervice ſederet.
Vi fundata diu nequeunt conſiſtere Regna
Quæ donat pax alma, manent; ſic illa Quiritum
Cuì ſinè fine datos ſpondebat Jupiter annos,
Quærit ſe fortuna, nec invenit; abſcidit ætas
Stirpis Juleæ ſeriem, nec noſcere fas eſt;
Flavia gens ubi ſit, cauſas ne quære Ruinæ;

Qui

Qui dedit imperium, Mars abſtulit. Auſtria tradit
Unanimis tibi Cæſareum diadema Senatus.
Stabis & æternas non Mars, non tempus habenas
Excutient manibus, nec quàm benè ſceptra miniſtres,
In dubium populi veniet, ratione probaris
Regno digna priùs, quàm regnes. Eſſéne poſſunt
Degeneres, ſibi quos animi peperere Regentes!
Hinc tua Progenies ter centum ducta per annos
Floruit. Invidiáque favente & tempore regnat
Hujus egó Imperio cùm non ſatis unicus eſſet
Orbem alium genui : Magna illa æraria terræ,
Pallentésque ſpecus auro, vicináque Diti
Limina, non homini metuenda cupidine lucri:
Quæ neque Pellæi tetigit Fortuna tyranni,
Non Domitor mundi terra Pelagóque Quirinus
Invaſit populus, quo non penetravit avari
Spes Cræſi, Craſsíque furor, quæ per ſua nunquam
Somnia ſunt auſæ Graiis promittere Muſæ,
Servavi Auſtriacis, hæc ſunt, hæc aurea regna
Non quæ Saturno fabricaſtis ſæcula vates.
Et Dubitas prolem Auguſtam num ſydere dextro
Reſpiciant ſuperi? Quòd ſi fortuna reflare
Viſa tibi & vaſtæ corpus decreſcere Molis;
Hos ſortis nimium Excelſæ, nimiùmque potentis
Mores eſſe ſcias; non inconcuſſa manere,
Aſt Invicta poteſt, quercûs nutare Cacumen
Flante poteſt Borea, radix immota, manétque
Pondere tuta ſuo; quamvis ut nulla ſuarum
Maximus Oceanus diſpendia ſentit aquarum,
Quantùm etenim egeritur, tantum advenit, Auſtria-dum ſic
Imperium ſentire nequit vel damna vel ulla
Incrementa ſui; veſtræ hæc quoque gloria gentis

Quam vel damna juvant, jacturáque ſola probare,
Quàm pateant ſua ſceptra, poteſt: vel regna, vel urbes
Enumerant Reges alii, ſola Auſtria Mundos.
Fortunæ neſcire modum plerumque poteſtas
Magna ſolet; rabidíque volunt ſolam eſſe tyranni
Sævitiam Regni fructum, niſi ſemper in armis
Stet ſolium, regnare negant, nec vincere quærunt.
Sed certare volunt, belli victoria bellum eſt.
Auſtriacis regnare datum, ſed vaſta poteſtas
Quod debet potuiſſe, poteſt; pro Numine pugnat,
Et cujus defenſor adeſt, defenditur armis.
Hæredem cuperes qui ſuſtentare capaci
Sceptra manu valeat, ſoliúmque implere paternum?
Ne dubita veniet Leopoldi è Sanguine Proles
Tantos lenitura metus; nil clarius Illa
Indole ſpectabis. Jam numen & ipſa laboro
Magnam animam, ſudántque atavi formare Nepotem.
Quóque magis poſſis venienti occurrere ſorti
Mecum age, carpe viam, ducam quà dulcis imago
Prolis adorandæ Leopoldo proxima regnat
Inter Majorum ſimulacra Auguſta ſuorum.
Illic erudies ſimulata in Imagine amorem
Falſáque cùm dederis, præludent oſcula veris.
Hæc ait: Excelſóque jubet conſidere curru.
Jamque ruunt geminisque gravis quadriga deabus
Alta petit: volitant Aquilæ per inane Jugales
Ambitione citæ: Quas non audita regentis
Virga aut calcar agit, Majeſtas Ponderis urget;
Quáque viam preſſêre rotæ, ſe vellere lucis
Veſtit iter, puróque aër inſcribitur auro.
Aſtra ſuper locus eſt, opifex ubi provida rerum
Altius è ſolii deſpectat vertice terras;

Natu-

Naturæque vices certas, incertáque fata:
Ire jubet, Regéſque legit queis cuncta regantur.
At prius ad vitæ quàm lumina proferat, umbrat.
Et parit Ideas; animas mox Jura daturas,
Ducit ab exemplo, ſimilíque ab Imagine cordis,
Hac Illac ſe ſe tollebant ordine longo
Regales umbræ, vel quæ tibi jura dederunt
Græcia, vel quarum Babylon audivit habenas,
Aut queis Roma diu nequiît ſervire coacta.
At qua parte polus radiat meliore Sereno
Auſtriadum ſimulacra ſedent, ſed nobile Regum
Depoſitum lucis niveo velatur amictu.
Huc ubi deveniunt, mora nulla, æterna Virago
Siparium retegit venerabilis amphitheatri.
Hæſit ad aſpectum miratrix Auſtria Pompæ,
Non ſecus obſtupuit, quam ſi velamine aperto
Scenalis Ludi ſpectatrix turba videret
Stare Cothurnatum Solio radiante Neronem.
Tum ſic Diva loqui, quem cernis in ordine primum
Antiquum facie, atque ævi Caligine ſacrum
Rodulphus, clarum Regni caput, unde per omnes
In Numen pietas deſcendit avita Nepotes.
Venatu felix. Sterilis cui gloria Sylvæ
Tot ſceptris fœcunda fuit, de rure ſecuta eſt
Quem reducem longi non Ruſtica pompa triumphi
Sanguine ſtillantes cervi, transfoſſa biſontum
Tergora: ſemineces Apri, ſervataque Ludis
Tigris, & ad plauſus Leo deducendus arenæ;
Sed ſolium, faſces, Aquilæ, diademata, regna.
Quem prope nónne vides habitu bellantis ut hoſtes
Terret adhuc, fractúmque in Caſſide murmur anhelet!
Hic Ille Albertus; vel Daco Judice, quem tu

Alcidi conferre ſoles, non Baltheus olli
Thermodoontiacus, non cuſtos divitis horti,
Neſciáque hydra mori, non Tygris, non Erymanthi
Invictúsque metus Lybiæ, ſed Marte Boemo
Turbidus Ottocarus, Dioterus & Theobaldus,
His ſuper Adolphus par hoſtibus omnibus unus
Æmulus Imperii dextra metuendus & aſtu,
In Laudem ceſſere, utroſque expende Labores,
Tam ſuper Alcidem nihil eſſe fatebere majus,
Quàm ſuper Albertum, qui facta hæc perlegit, illa
Haud fieri potuiſſe, negat; mendacia veris
Invenere fidem. Prô quanta potentia formæ,
Quantum oris Nitidi Friderico contigit! omnes
Unius in vultu exhauſit natura colores.
Nomine ſignaris Pulchri Pulcherrime Regum.
Attamen & parcè de te tua forma locuta eſt;
Quod ſimul & mentis dotes & corporis æquet,
Nullum nomen habes. Titulorum quidquid in omnes.
Spargitur, una domus confert, Magnóſque Pióſque.
Pacificos, Fortes, Fortunatóſque. Potentéſque
Auguſtos omnes, omnes ſua fata prementes,
Hæc dedit: Anne vides quanto ſe vertice tollant
Tergemini Ferdinandi! patrimonia Mundi
Divide in hos, erit anguſtum, quod fratribus Illis
Muſa dedit, non terra, fretum, non ſufficit Æther.
Quis tacitum faciet te maximus Æmiliane
Pendentem Scopulo; circúmque infráque videntem
Luſtra, feras, cautes, cuncta intentantia Lethum,
Spectabas, poteraſque mori formidine Mortis.
Navigium Imperii decimæ timor ultimus undæ
Tunc ſuper erraſſet, niſi Numen ab axe vocatum
Triticea ſub nube metus ad tartara pulſos
Miſſ-

Miſiſſet, regnúmque anima ſervaſſet in una.
Vis Regnatorem Carolum, vultúmque videre
Quo ſe ſe tantum faſſa eſt fortuna minorem?
Hic vir hic eſt, cujus Romano carmine dignum
Nomen & hiſtoria; ſi ſæcula forte futura
A te noſſe volent, dic uno Cæſare victam
Europam, Domitam Lybiam, Tunetúmque ſub-
actum
Adde triumphatos reges, pulſúmque Vienna
Ante tubam Solimannum, dic Geldrica bella,
Saxonicam nullo finitam ſanguine pugnam.
Adde per Italiam currus regaliter actos
Afflantémque metu loca tuta, ſuáque ferentem
Et bellum pacémque manu, dic per mare magnum
Victrices egiſſe rates. Peruanáque ſceptra
Adjeciſſe ſuis, Magnus quòd vincere regna
Sciverit, at Major quòd ſe poſt omnia vicit:
A Carolo Carolus mundo ſpoliatus utroque eſt.
Atque hic Cæſareas animas dum ſedula luſtrat
Auſtria, in Auguſto defixaque tota Senatu eſt,
Sublimem ſolio Leopoldum proſpicit, olli
Hærebat dulce arridens blandiſſima proles
Cujus & ipſa ſuos vultus ſumebat ab ore,
Solis ut objectu nitidiſſima comitur Iris.
Non frontis vulgaris honos, conceſſaque talis
Munere Cælicolum formæ Indulgentia, qualem
Optarent Charites, atque ars ornare timeret.
Tunc Iſtri Regina, quis hic? ô maxima Divum
Fateage, nam quis ſit! non eſt mihi dicere promptum.
Et liquet eſſe aliquem magna de ſtirpe nepotum,
Auſtriaci noſco præclara Inſignia Labri:
Noſco Aquilam patriam volitantem tempora circum
Atque Giganteo vigilatum fulmen in antro

Præbentem Puero. Qualis conſtantia Menti!
Ut non formidant acies, ut luce ſevera
Paſcitur, oblatúmque manus extendit ad ignem!
Jam fortis quod non timeat, dignúsque timeri.
Illa ſub hæc: Clari Archiducis cui publica vota
Suſpirant, nullóque vacant à thuribus aræ
Hæc hæc effigies: mirari deſine vultus
Ætatem ſupra ſurgentes: maſcula virtus
Cæſaribus venit ante diem. Vix editus Infans
Belligera Patriam teſtabitur Indole terram.
Auguſtæ pendere volet cervice Parentis,
Non tamen amplexus caperet, neque baſia blanda
Matris in aſpectu niſi Amazonis ora videret.
Dulce magìs Genitor quin experietur amatæ
Os prolis, cùm per Galeam dabit oſcula Clauſam.
Non luſus teneri, & carmen nutricis amicæ
Suadebunt ſomnos faciles, Cunabula circum
Audiat Auſtriadum pugnas, noménque, quod orbe
Grande ſonat Patris, pueriles impleat aures.
Diſcat Avos Atavósque & nomen honoris amare,
Quamque parum diſtent à morte ſilentia vitæ.
Arte laboratas torva, pictásque cruentis
Bellorum Exuviis & dignas Hercule cunas
Sentiat eſſe ſuas, interdúmque aſpera tangat
Corpora bellantum, veros dum credidit hoſtes.
Mox ubi Lacteola vocem diſtinguere lingua
Incipiet, primis ſpecioſa vocabula labris
Et Nilum & Gangem, tumidámque Boriſtenis oram
Trux Infans proferre volet; bella horrida bella
Mirari, patrios & balbutire triumphos.
Frœna recuſantem Ungariam, Dominúmque Coactam
Ferre Jugum, Danis Regem, Regémque Polonis
Præpoſitum; graviore ſono ſed Turcica dicet
Bella

Bella, cadaveribus cùm tardior iret Arabo,
Nec reperiret Iter, qua ſe ſe evolveret Iſtro.
Tartara laſſarent pœnas, & navita furvus
Exanimata gravi traduceret agmina claſſe;
Quin & ſcire volet, quo Jacta ſit alea belli,
Quo fortuna loco Riſit Germana, quis hoſti
Det tumulum campus, quæ nam excepiſſe ferantur
Victrices Aquilas, fugientemque oppida Lunam?
Hæc ſuper accendet ſtimulis ſe ſe æmula virtus
Ætatem Increpitans Seram Lauróſque morantes.
Pullus ut armigeræ volucris, quem rupis alebat
Nidus, ubi primum firmos intelligit ungues
Fulminis & patiens roſtrum, negat aëre clauſo
Vivere, jam ſtabula ante oculos, jam cogitat angues,
Belláque crudeléſque dapes, majorque videri
Jam quoque Patre cupit, cujus ſit gloria vinci.
Sic bellatrici nutritus Cæſaris aulâ
Cruda Rudimenta & primos in Marte calores
Ut Puer induerit, duce ſe fera Prælia ſumi
Invito Genitore petet, glaciéque profundum
Primus erit, qui Danubium, Rhenúmque ſonantem
Inſiliet Criſtatus eques, quæ funera cerno
Palloréſque maritarum! Jam Boſphorus horret
Primum apicem Galeæ & fatalem millibus haſtam.
Non tamen in ferrum ſic immemor ibit, ut Idem
Neſciat eſſe pius, vitámque relinquere victis.
At quibus ignoſcet, vel quos dignabitur Ira
Æquè felices, æqualia dona putabunt,
Aut Iræ mortem, aut veniæ debere ſalutem.
Tu modo victricem propius complectere dextram
Dum placida eſt; nec adhuc Aſiæ de ſanguine fumat.
Dixerat. Auſpiciis jámque Auſtria læta futuris

Ibat in Effigiem Archiducis, labríſque ferebat
Oſcula, ſed falſis non agnoſcenda labellis.
Interea Partus Lux optatiſſima tandem
Venerat, ex Alvo qua Neoburgica Nupta
Grande puerperium explicuit, ceu rore marito
Concha gravis, genitalis ubi ſtimulaverit annus
Pandit Divitias uteri, puróque Sereno
Parturit Aurora certantem Matre Lapillum;
At fracta de nube fragor ſi murmuret: Intra
Conceptus latitans male tutæ viſcera matris
Palpitat, & lucem properat dum viſere, perdit.
Armorum tonitru quamvis Germania latè
Strideret, horrendúmque ſonarent omnia Martem,
Non tamen à ſtrepitu Regalis inhorruit alvus
Præcipitante metu partum, nam fœtus in Ipſo
Fortis adhuc utero, dubiam trepidare parentem
Non ſinit, atque illam, ſeſéque tuetur in Illa.
Protinus Auguſti Natalia fama per orbem
Nunciat. Ante oculos Iſter ſua gaudia Ponto
Septeno ore ſonat, ſequitur mox Rhenus, & Albis
Tardior inde Tagus, Bœtísque, & Tybris, & Arnus
Eridanúsque ſacer, natúsque ad prælia Scaldis,
Convenere Patrem Oceanum, ſocióque tumultu
Lætitiæ det ſigna petunt, ſpectacula, ludos
Indicat, nunquam feſtas majora per undas
Gaudia, non tanto fremuiſſent æquora plauſu
Progenies animoſa tui Neptune tridentis
Si de Pacifera remeâſſet Pallade victrix,
Sirenes modulis, glacui Tritones aquoſis
Inſonuêre tubis, ipſæ riſêre procellæ
Ventique, pluviæque & nubila viſa ſerena,
Plauderet utque magis mutato corpore Protheus
Extemplo mediis Igneſcere cœpit in undis.

Par tertis plauſus, montes candente favilla
Altius attolit Vulcanus; ab igne Pyrene
Adrobæ virgulta flagrant & Taurus & Alpes
Piniferúmque ſupercilium candeſcere ſentit
Maurus Atlas, flagrant Hercinia luſtra, ruinas
Pérque ſuas Veſæus apex, Lipareáque fornax
Gaudia projiciunt; poterant arſiſſe videri
Omnia, ni meliore Polus Phaëtonte caleret.
Interea plauſus grave murmur, & Ignea fama
Protinus aſtra ſuper conſcendit & Impulit aures
Auſtriacæ regnatricis; tunc forte parabat
Effigiem teneri Archiducis dare brachia circum,
Illi complexus, illi oſcula prona ferebat.
Audiit ut genitum, genitóque applaudere terram
Axe ruit ſine lege, ſui, paritérque figuræ
Immemor, & cæli, terras feſtina reviſit.
Præcipitata via eſt; dederant Arctoa quadrigam
Sydera, jámque aulam ingreditur, clarúmque ſecuta
Vagitum Ingentis Pueri, cunabula ſupra
Sternitur, & totam ſatiat ſe Cæſare vero.

DE
# PROFLIGATO
AD TIBISCUM
MAGNO TURCARUM
# SULTANO
*AB ARMIS*
# LEOPOLDI I.
Invictiſſimi Imperatoris.

## *EPICINIUM.*

BOſphore pande fretum, vix ô vix ſufficit æquor
Bellorum ſpoliis; tuus ecce ſuperbus ab iſtro
Sultanus remeat, reduci da gaudia, montes
Perfora, & in ſtatuas totam conſume Corinthum!
Feſtas tolle faces, nec ùt una lampade quondam
Seſtus

Seſtus amica fuit nocturna per æquora nanti,
Ardeat in furtum, flammis hinc inde levatis
Tota coronetur, reſpondeat æmula contra
Igne pari, tremulumque jubar, noctemque diurnam
Sopitis pelagi Nymphis immittat Abydos.
Plauſibus his, ô Byzanti regina parabas
Imperioſa tui reditum celebrare Tyranni;
Delphicus hos tibi ſucceſſus promiſerat augur,
Quæque mei colitur ſub imagine Numinis urna.
Ille redit, ſed non qualis cùm turgidus arces
Iret in Hungarias, Aſiamque effunderet omnem,
Et toties victus vultum victoris haberet.
Scilicet exutus caſtris, opibusque virisque
Terga dedit, ſolumque illi Germana reliquit,
Ut fugeret, Fortuna pedes, cladisque rediret
Nuntius, utque tegat, malè fert quem fronte pudorem;
Optat, ut occurrat venienti Nilus, & unus
Utriusque dolore caput defendat amictus.
Jam ſatis experti Thraces à clade recenti
Teutonis acta manu quid ſanguinis hauriat haſta.
Vulnera ſed finita tamen ne credite pugnæ,
Vulnera reſtat adhuc ſentire Poëtica, veſtræ
Romanus famæ quæ maturaverit arcus.
Arma ferunt vates, & plectro vindice pugnant,
Sæpe etiam gravius quam corpora, nomina pungunt
Nec tituli nobis in amara poëmata deſunt;
Scilicet expulſæ vobis Helicone camænæ
Exilii memores non ulla libentius unquam
Quam mala veſtra canunt, præſentia dicere dulce
Carmen erit, facietque magis vindicta canoras.
Auditis? digiti pulſant jam bellica fila,

Poſt-

Dumque ferit chordas, plùs æquô iraſcitur unguis.
Ex quo ſervili rurſum cervice recepit
Iſmarium Græca alba jugum, ceciditque cruoris
Prodigus, ipſo etiam non illaudatus ab hoſte
Italiæ Æacides veteranus, & horrida mortem
Proferret num fama diu cunctata pependit:
Intumuit de ſorte Propontidis Induperator,
Erexitque animos, & toto hoc tempore quamvis
Marte ſub ancipiti victoria Cæſaris hæſit,
Attamen aſſuetus jugî certamine vinci,
Cæſare non vinci, poterat viciſſe videri.
Ergo ubi maturo præſenſit idonea bello
Tempora, ſigna movet; qualis ſub tempore veris
Prodit humô coluber, novus ore, feroxque juventa,
Atque hyemis longum meditatus pace venenum,
Colligit in fauces; pallent ad ſibila Nymphæ,
Et florum immemores pratis fugêre relictis.
Non ſecus in bellum vires Orientis, & Auſtri
Ductor agit, Cyprios, Dacosque, Arabesque Scythasque,
Biſtonas, Armeniosque, ſagittiferosque Gelonos
Ultima præſidia Imperii jam cladibus hauſti.
Detonat Ungariam ſupra, præit horror euntem,
Famaque majorem vero prænuncia narrat,
Utque venit, qua Tibiſcus ſibi nominis uſum
Servat adhuc, Iſtri necdum ſeptemplicis ore
Ebibitur, juſſus majori cedere famæ,
Subſedit dubius, quæ nam petat oppida primùm
Supplicis Ungariæ; pontem nunc cogitat Eſſeck,
Et modo conamen Solimani grande Sichetum,
Nunc intrat Varradini penetralia viſu
Regalemque Albam: toto ſed pectore Buda eſt;

Invictas arces, quas per tot ſæcula raptas
Regibus Ungaricis, domus Ottomanica rexit,
Invidet, & queritur raptas ſibi, ſeque latronem
Non putat eſſe, fuit longo quod tempore latro.
Dum quid agat, quò ſigna ferat, circumſpicit, ecce
Temisvarenſis fera conſtitit arcis imago,
Torva genas, propiorque viro, matrona ferebat
In ſpeciem comptûs crinalem vertice Lunam:
Bellatrix gravat haſta manum, nec ab Ægide quærit
Pectoris horrorem, ſuus eſt pro Gorgone vultus.
Tum ſic orſa, ſinit quantum natura, modeſtè:
Illa ego ſi neſcis Rex invictiſſime quondam,
Nunc invicte malis, ſum Tesmiwar: unica reſto
Vallum Aſiæ, clypeusque tui; quod ſola relinquar
Arcibus è tantis mereor tibi charior eſſe.
Fida fui, ſervabo fidem, ſervare parata,
In mortem quamvis famis egerit ultimus ardor,
Prompta foro in medio, ne victor opima reportet,
Longæ pacis opes crepitantibus urere flammis,
Meque cremare ſuper fidei memorabile nomen
Biſtonidum faſtis, aliamque datura Saguntum.
Ne tamen amiſſis tot de cuſtodibus olim
Nobilis Hungariæ, quod ſim tibi ſola ſuperſtes,
Deſperare velis, rediture credere ſorti
Doctus ab hoſte potes: quod nos ſumus, ante fuêre
Teutones, Ungariâ pulſis fuit unica murus
Vienna, nec hic tutus, muros obſedimus illos;
Et niſi, quæ vertit plerumque ingentia facta
Æmula fama Ducum, prædæque libido fuiſſet,
Regnares, ubi Cæſar adeſt, geminoque potitus
Imperio, noſtræ colerent capitolia Lunæ.
Sed quia virgo ſtetit Germanis penè ſubactis
Auſtriaca, Ungaricum dederat victoria Regnum.

I quoque, vince ſemel! ſtet Tesmiwar, unica victis
Thracibus Ungaricum reddet victoria regnum.
Quod fieri ut poſſit, Dacis te junge maniplis.
Dacia quantumvis modò ſit ſinè Cæſare, non eſt
Cæſariana tamen, veteris memor illa Patroni
Durat adhuc, nec, ſi Dominum, mutavit amorem.
Juſſa quidem victoris agit, tibi pectore ſervit.
Te viſo tua rurſus erit: tum victor ab alta
Ungaria armorum torrens revolutus ad imam
Atque ex præcipiti violentior, obvia quæque
Sternet agens, Dominumque ſuum ſua regna ſequentur.
Hæc ait, inde viam, qua tenderet, innuit haſtâ.
Prima cadit, ſiccoque ſuper pede trajicit amnem,
Seque, futura ſui cuſtodia, reddit in arcem.
Civica ſic nidum ſi quando reliquit hirundo,
Quæſitura dapem natis implumibus aptam,
Ut tandem reperit, prenſúmque tenaciter ore
Fudit onus roſtro, quamvis per inane vagari
Defæcata dies, Zephiríque ſüadeat aura,
Prolis amans reditum properat, nec ad otia cœli
Dulce ſinit deſiderium divertere matrem.
Talis & illa ſuos ſtudioſa reviſere cives
Feſtinabat iter. Vix declinaverat, iſte
Edita, quæ dederat matrona, recogitat, utque
Æqua putat, raptim ſuper amnis aquatile dorſum
Pontibus impoſitis, ripam committit utramque.
Inde jubet lectas equitum præcedere turmas
Primum Aſiæ florem: via lignea quadrupedantum
Trita ſonat pulſu, bellúmque reduplicat amnis.
Et quaſi Sultano ſpectanti ex aggere plaudat
Flumen adulator, terſi ſub gurgitis unda
Monſtrat equos, peditesque, & euntem in prælia Lunam.

Ille

Ille videt, ſequiturque Duces, atque ultimus inter
Vulgus equeſtre venit, tanquam ſit Lucifer alter
Sidera qui cogit, cæloque noviſſimus exit.
Juſſerat alterius ripæ defendere tractus
Nereos militiæ peditem contraque propinqui
Teutonis aſſultus, crudæ telluris acervo,
Inſuper arboribus montano vertice cæſis
Ædificare triplex, & ineluctabile vallum.
Stabat & hoc; ignara tamen, quæ ſedula tutum
Turba parabat opus, magni ſibi carceris inſtar
Ne fugeret, fabricaſſe ſitum, tumulumque futurum.
Cæſaris intereà Zentæ ſubſederat agmen,
Terra obſcura quidem, ſed quæ venientibus annis
Ticinô, Cannîs, Trebiaque ſuperbior ibit.
Hic ubi dum ſtratus per dura cubilia miles
Solvitur in ſomnos; credas divinitus illuc
Juſſa ſoporiferi migrare examina Regis,
Sopitisque eadem Ducibus per mille figuras
Ante diem voluiſſe diem portare triumphi
Ille videbatur, jamjam ſibi ſcandere vallum,
Cæſareamque aquilam pulsâ defigere Lunâ.
Iſte equitare ſuper ſpolianda cadavera, vitæ
Contentus ſpoliô, neu ſe victoria prædis
Victa retardaret locupleti parcere morti,
Si qua cupit, de ſomnifero grege, cominus umbra
Noſcere, Germanus quantum terroris, & iræ,
Vel cum dormit, habet, ſatis eſt ut Turcica fiat,
Larvarum de plebe volant. Quæ ſomnia plebi,
Non eadem ſunt miſſa Duci, quæ ſomnia portat
Regibus, eligitur major de fratribus umbra,
Portet ut Eugenio (dixerunt Morphea vates)
Miræ opifex artis, quæcunque in luce fuêre
Reddere ſub noctem, nemo felicior illo

Inſtaurator adeſt, fragmenta recolligit ævi,
Ponit & ante oculos, ne, quæ periere, perirent.
Accipit os olim quod Lotharingus habebat,
Lotharingus, amor Romanus, Cæſaris Atlas,
Invidia ætati venienti, gloria noſtræ:
Accipit & voces & conſuetiſſima membris
Tegmina, clauſtra dehinc quæ fas recludere nulli,
Ut ſolet, Auguſtale Sabaudi Principis intrat.
Parcus ubi ſomni, ſed & hunc acclinis ad haſtam
Carpebat, placidus toto nec corpore, campi
Bellatoris enim facies, hoſtíſque propinqui
Cura quieſcenti nondum digeſta redibant.
Sic ubi præcinuit ducto lyra pollice mota,
Ut chordæ ſiluêre, manet tinnitus in illis
Et dextra ceſſante quies immurmurat ipſa:
Non ſecus ante animum Sopiti herois & ora,
Muta recurrebant veteris veſtigia mentis.
Morpheus hæc cœlat, quantusque & qualis in orbe
Lotharingus erat, manifeſtum fecit in umbra.
Umbra hilaris tamen eſt, majeſtas priſtina manſit
Et vox quæ fuerat, tum ſic audita profari:
Ora tui noſti non inficianda Sodalis
Magnanime Eugeni: ſumpſi, quæ ferre ſolebam
Cum mortalis eram, quæ nunc fero funeris expers,
Æthere depoſui: noſtræ tibi copia lucis
Ne ſuſpecta foret, nimioque nitore timeres.
Viximus unanimes animæ, dum vita maneret,
Ambo pugnaces, & amantes Cæſaris ambo,
Junctos Vîenna duos habuit, Strigonia, Buda,
Nicheſeël, fortis Caniſſa, ſuperbaque fruſtra
Alba timendorum cinerum Regalibus urnis,
Gloria ſi junxit, nos & junxêre labores;
Unà hyemes, unà autumnos ſub pellibus iiſdem
Egi-

Egimus, unà Iſtrum galea potavimus, unus
Sæpe torus Ducibus Saxum commune duobus.
Tantum diſſimiles, quod in illis tunc ego caſtris
Dux fueràm, tu miles eras; ſed tempore ab illo
Mens te noſtra Ducem jam fecerat. Impiger auſis
Providus in ſubitis, animo, non ſtemmate tantùm
Regius, adverſùs vicina pericula fortis;
Ut nimiùm forti de te mihi ſæpe timerem,
Jam tunc dignus eras, de quo ſibi plauderet omnis
Campus, præſentique humiles ſubmitteret haſtas.
Nunc mea vota tenes, primæ moderator habenæ
Teutonici Martis, minor uno Cæſare regnas
Dux novus Imperii, primæ fac ut alea pugnæ
Vertat fauſta tibi, famæ ventura relinque
Bella gerenda tuæ, vice ſi te fecerit iſta
Laurea victorem, pugnas exinde peractas
Ante tubam cernes, & erit pro milite nomen.
Jam ſuper exſtructis Tibiſcum pontibus audax
Rex Aſiæ, cupiens Dacis ſe jungere, flumen
Tranſiit, & largas equitatum extendit in oras;
Altera ripa tenet peditem; nunc tempus agi rem,
Mutua dum medius commercia ſeparat amnis.
Quare age; fulmineas acies lux craſtina cogat,
Tempora neu differ; momento maxima conſtant.
Non ego defuero, quamvis & abeſſe videbor.
Me Duce miles eras, Duce te modo militis ipſe
Munus agam, volitabo ſuper vexilla, measque
Quondam acies. Ne quære reget quod dextera telum?
Hoc erit. Hæc fatus retegit, quæ veſte latebat,
Cæſaris effigiem. Speculo Leopoldus aheno
Conſpiciendus erat; vultus nec ùt eſſe ſolebat,
Imperioſus amabiliter, ſed torvus, & acer,

Atque minantis erat, premeret ceu cominus hoſtem
Mox ait. Hæc belli litem componet imago,
Non feret hos vultus, campoque repente relicto
Terga dabit Sultanus, equum latebroſa petentem
Non equitis calcar, ſed deſperatio punget.
Jamque vale. Dixit, tenuesque receſſit in auras.
Per ſomnum Eugenius quem cùm vidiſſet abire,
Quo fugis? exclamat, remane: cape nobile dextræ
Rurſus onus: te redde tuis. Neu crede latere,
Mutatus venias, dederis ſi juſſa, ſequemur.
Clamabat: remane, fugientis & inſuper umbræ
Ibat in amplexum, quam cum ſtrinxiſſe putaret,
Quâ reclinis erat, manibus jam ſtrinxerat haſtam,
Voce ſua, bellique flagrans propioris amore
Excutitur, ſomnumque fugat, mox talia ſecum:
Somnia vana quidem, tamen & per ſomnia ſæpè
Vera monent ſuperi, ſed qualemcunque futuri
Spondeat eventum belli fortuna, prioris
Obſequii Lotharinge memor parebo vel umbræ.
Dixerat; accirique intra tentoria raptim
Concilium jubet Heroum, tum maximus ipſe
Incipit: Auguſti Proceres, quibus æſtimo non tam
Imperitare, mihi quàm ſit parere decorum.
Ecce dies tandem, quæ teſtatura ſit armis,
Quantus honor noſtris, quantusque in pectore Cæſar
Hactenus arce ſedens Rex Thracius Helleſponti
Miratus velut è ſpecula Germanica ſigna,
Nunc & adeſt, adeoque minax abſolvere ut ore
Poſſe putet ſolo quaſi per compendia bellum.
Sed domitus, ſed victus adeſt, prodire coactus
Carcere deliciis Aſiæ muliebriter uncto.
Fretus avis, Dacisque rebellibus, agmen equeſtre
Ulterioris aquæ trans littora turbidus egit:

Alte-

Alterius ripæ cuſtodia tradita turmis
Vallati peditis, nunc, ô nunc tempore rapto
Utendum, vires medius dum ſegregat amnis.
Divideret ferrô Teuton, ſi tota coirent
Agmina, quid peraget tunc, cum diviſa videbit?
Foſſa ſed eſt triplex, & inexpugnabile vallum?
Miles at eſt idem pugnax in pulvere Budæ;
Qui ſuper emicuit gemini faſtigia muri,
Incoctæ vallum telluris adire timebit?
Adde quod illectus prædæ Regalis amore,
Eſſe ibi Sultani dum ſcrinia ſperat, & arcam,
Militiæ foſſas Pervana æraria credet.
Præmia ſollicitant animos tamen iſta minores.
Mentibus Heroum non eſt, niſi gloria, calcar.
Quidquid apud Vîennam Turcarum ferreus ignis
Polluit, inſultans Auguſtæ mænibus urbis,
Jam ſatis eluimus; licuit transmittere longe
Ungariam, pictamque oculis exponere Romæ,
Oppida capta manu, nullum non ſanguine littus
Decolor & truncos inhonoris cornibus amnes.
Cladibus his fateor fuimus feliciter ulti
Temporis illius labem; fuga Cæſaris una
Reſtat inulta tamen; Sultanus vocibus iſtis
Rebus in extremis etiam ſua vulnera palpat:
Induperatorem Vîennâ dare terga coegi.
Veſtrum erit ô fratres, tandem victricibus armis
Cum Duce caſtra ſuo toto ſic pellere campo,
Cæſaris ut profugi poſthac meminiſſe recuſet,
Ne pudeat meminiſſe ſui. Fuga Cæſaris illa
Non fuga quantumvis fuerit, potiusque receſſit,
Quam fugeret, qui ſic fugit, bellaret ut abſens,
Grandior & nunquam fieret, quam Marte ſub illo,

Quo Reges ſeptem vidit ſub ſigna ſuique
Stare loco, milesque fuit pro Cæſare cœlum.
Hæc ait: & longe quam fandi copia, cauſam
Oravit facies plusquam mortalis; in illo
Jam ventura legi poterat victoria vultu.
Curia mota Ducum bellum conclamat: *ad arma:*
Excitus è ſtratis miles reſpondet, & arma,
Quæ videre manus hilares per ſomnia, ſtringunt.
Claſſica jamque ſonant, tuba convocat ærea campum
Jam vigilem, vocat auroram Gangetide porta
E deſiderio pugnæ torpeſcere viſam.
Illa venit, ſolitosque comas ornatior effert,
Et tanquam ſpectare dies memorabile bellum
Appeteret, ſine nube fuit: properatur in hoſtes,
It properus, cum lege tamen Germanus & ante
Adveniſſe vident, poſſent quàm dicere, venit.
Poſtquam detonuit fulmen, ceu ſurgit arator,
Quem procul à tauris ſtravit fragor; anxia primum
Lumina circumfert per olentem ſulphura ſylvam.
Ut videt ex illo, quò cernere colle ſolebat,
Percuſſam flagrare caſam miratur, & horret,
Iraſci vel pauperibus didiciſſe Tonantem.
Teutone conſpecto ſic totus inhorruit artus,
Percuſſusque ſtetit Viſirius; utque redit mens,
Quod ferus in ſubitis dictat dolor; ocyus omnem
Cuſtodem foſſæ venientibus objicit ignem.
Falcones, tormenta, colubrinosque, ſcloposque,
Ollas & Bolides, & noſtra quot addidit ætas,
Ignis opificio mortis diſcrimina morti.
Tota volare putes armamentaria Thracum
Germanum contra; contra tamen ille pilarum

Urget equum nimbos, & concipit ignibus ignes.
Conſentit ſonipes, & tanquam pondere noſcat,
Quem vehit Heroem, de ſemine Bellerophontis
Aerium ſibi quærit iter, ſaltuque volanti
Bellatorem equitem valli ſuper ardua defert.
Ille tenens apicem, quos invenit, opprimit hoſtes,
Et defenſor adeſt, cujus muniminis antè
Expugnator erat; punctim, cæſimque trucidat
Nunc hos, nunc illos, ceu lingua volubilis anguis
Exerro cum dente micat, licet una, videtur
Mobilitate triplex: non ſegnior unus & idem
Creditur eſſe triplex in dextra Teutonis enſis.
Obtutus celeris deluſus imagine motûs,
Vera putat non vera, fidemque timentibus auget.
Parte alia clypeis ſcalarum ex ordine nexis
Conſcendunt pedites, & inundant agmine foſſas.
Ut juſſi Thraces virtuti cedere vallum,
Mandant bella fugæ, victor cedentibus inſtat,
Nunc ſude, nunc plumbo fugientia terga cruentat.
Terga pudenda quidem, niſi vulnera plena pudore
Gloria corrigeret dextræ, quæ vulnera fecit.
Advolat, ut vidit trepidare Viſirius alas,
Et procul. O fruſtra proles mavortia Thraces
Quo ruitis? revocate gradum: niſi vertitis ora,
Solus in arma ferar. Moriar, ſed & ante licebit,
Qua perii, vidiſſe manum. Sultanus an arma
Venit ad hæc, ignominiæ ſpectator ut eſſet?
Credite vos campo patrias hoc cernere veſtras,
Hic Memphim, Babylona, Cyprum, Cretamque, Rhodumque
Vosque exhortari, monſtretur ut ardor avitus,
Et Patriæ verus virtute probetur alumnus.

Nec modo me valli tangit jactura relicti;
Gratulor amiſſum, diſcet Germania poſthac
Pectore nos potius, clauſo quam fidere muro.
Voce Ducis, ceu cote, redit magis aſpera mentes
In profugas virtus irritaturque pudore.
Nec mora: conſiſtunt, converſiſque oribus hoſtem
Aggrediuntur: adeſt Viſirus in agmine primus
Altus equo, frameamque rotat, tot fata, quot ictus
Ingeminans. Quicunque cadit de Teutone miles
Non impune cadit, mutilusque, lacerque minatur,
Circuit, & moriens ſupra quem palpitet hoſtem.
 Auſtriaci curſum gladii retinere parumper
Hic potuiſſet obex, ſed tempeſtivus ovanti
Viſiro, & pauca peditum de cæde ſuperbo,
Advenit Eugenius, qui poſtquam pectore vidit
Sythonii pendere equitis regale ſigillum,
Viſirum ratus eſſe, meus, meus iſte, minaci
Majeſtate tonat. Nec fatus plura, volucrem
Egit equum, mediaque in fronte recondidit haſtam.
Mox ait: I manes Solimanno nuntius, illi
Succeſſum memora certaminis, Ungariamque
Cæſaris eſſe refer. Dixit, nec plura moratus
Quo ſecunque rapit, ſtragemque metum propagat.
Qualis ubi lumen, media quod fronte gerebat,
Senſit abeſſe Cyclops, huc impingebat, & illuc,
Servatus vitæ in pœnam, rabieque vorandus,
Quolibet ut paſſu, pino Duce, nec bene firmus,
Speraret ſemper, nunquam laniaret Ulyſſem.
Talis ab armato Viſiro exercitus ingens
Errabundus in hanc partem, raptatur in illam;
Saucius hic, mediusque ſui fugiebat in antra,

Vulnera commendans ſylvis, moriturus ibidem,
Ne procul à nido quæratur vulture paſtus.
Pars equitum potior, peditumque hauritur ab amne,
Nec tantum deportat aquæ Tibiſcus ad Iſtrum,
Tibiſco quantum viſum fluxiſſe cruoris
Credi Erebus potuit tot deſcendentibus umbris
Anguſtus, coeunt nova circum examina manes,
Grandia Teutonici mirantes vulnera ferri.
Perculit interea luctûs prænuncia fama
Regnatorem Aſiæ ripæ ulteriora tenentem.
Ter laturus opem, pontem transmittere adortus,
Ter remoratus ibi eſt. Tandem calcaribus actis
Impellebat equum. Tunc Lotharingus aperta
Nube Leopoldi vultum radiantis in ære
Objicit. Obſcurus belli ferrugine campus
Exuitur, redditque diem: tam clarus ahena
Et viſu horribilis prorupit ab icone fulgor.
Utque Syracuſas olim obſidione premente
Magnæ urbis clypeus ſpeculum fuit, unde coegit
Pro muris bellare diem, perque ignea Solem
Vitra laceſſitum medios excuſſit in hoſtes
Marcello mirante faces, qua parte, vel unde
Mulciber in naves Æthna parcente veniret.
Cæſaris haud aliter dare fulgur ahenea viſa eſt
Et tonitru pupilla; jubar non ſuſtinet ardens
Sultanus, cadit haſta manu, laxantur habenæ,
Terga dat, ambiguusque diu num viveret hærens,
Arbitrio raptatur equi, nec redditus ipſe
Ante ſibi, profugi quàm Teſmiwar obvia curſum
Siſteret, exanimemqne trementibus abderet ulnis.
Quæ fuerit campi facies paulo ante decora,
Decolor extemplo, qui fœdæ ſtragis acervi,

Juncta-

Junctaque Patritiis plebeja cadavera, juncti
Victores victis, non hoſtis ab hoſte, peremptus
A vivo, fortis non dignoſcendus inerti;
Quæ præda armorum, captivarumque ferarum
Deque tot exuviis Viennam viſura ſupellex,
Noſcere Germano nox non permiſit, & illa
Quæ non auſa fuit ſplendeſcere Cynthia nocte.
Non fuit Eugenio ſed nulla beatior illâ,
Qua ſuperis poſtquam grates auctoribus egit,
Sanguine rorantis poſito thoracis amictu
Intra Sultani jacuit tentoria victor.

*L. D. S.*

ELEN-

# ELENCHUS ORATIONUM.

## LIBER I.

*Herculis* columnas ſuas ad Oceanum ponentis. f. 10.
*Columbi* ad ſocios, antequam ex littore Gaditano ſolvit. f. 11. 12.
*Diſcordiæ* in abſtracto ſumptæ, dum Hiſpanas naves in Oceano videt, & indignè fert, orbem novum per commercia cum vetere conjungendum. f. 14. 15.
*Ejusdem* ad Protheum monſtrorum marinorum paſtorem, ut Hiſpanis navibus aditum in Indiam intercludat; utpote quæ Deum afferrent novum, qui reliquam Deorum turbam eliminaret. f. 14. 15.
*Prothei* ad Diſcordiam, qua vaticinatur naſcituras ex inventis aurifodinis Indicis Europæos inter Principes diſcordias. 17. 18.
*Aretiæ* ad Deum pro ſalute Columbi obſecratio. 21.
DEI ad Aretiam, de felicibus Hiſpanorum in India ſucceſſibus. 23.
*Aretiæ*, dum clauſas hactenus occidentales Indias Columbo deſtinat. 28.

LI-

# LIBER II.

*Diſcordiæ* ad Theromantidem Fortunæ Sacerdotem, nobilem veneficam, qua ſuadet, ut Circen imitetur, & Columbi ſocios Inſularum fortunatarum illecebris faſcinatos ab ulteriore in Indias itinere detineat. 31. 32.
*Theromantidis* ad Diſcordiam reſponſoria, qua ſe ad fraudes, & veneficia promptiſſimam offert. 32.
*Ejuſdem* ad Hiſpanos, qua illis exponit rationem orgiorum in honorem Bacchi, & Fortunæ celebrari ſolitorum. 34. 45.
*Vaſci* Hiſpani ad Theromantidem, qua lamentabilem Hiſpanarum navium ruinam exponit, & eandem rogat, ut ad littus Canariæ Inſulæ applicare liceat. 35. 36.
*Theromantidis* ad Hiſpanos, qua illos invitat ad fortunatarum Inſularum voluptates deguſtandas. 36. 37.
*Vaſci* ad Theromantidem inter epulas, in qua de fabula Bacchi & Fortunæ tractat, Theromantidis ad Hiſpanos, qua miram de connubio Bacchi cum Fortuna fabulam narrat. 38. & ſeq.
*Eutychies* ſive Fortunæ ad Bacchum, cùm eum manifeſto vitæ diſcrimine liberâſſet. 41.
*Ejuſdem* ad eundem, blanditias illius averſantis. 41.
*Ejuſdem* Bacchum ſub tygridis pelle latentem in venatione capientis. 43.
*Ejuſdem* ad Parentes de capta præda glorantis. 44.
*Bacchi* ad Eutychien, dum eam in ſponſam depoſcit. 46.
*Superbi* ad honorem aſpirantis. 48. 49.
*Adoleſcentis* vanis voluptatibûs faſcinati. 50.

## LIBER III.

*Columbi* ſocios poſt naufragium conſolantis, & in propoſito confirmantis. 52. 53.
*Ejusdem* ad Genium Inſulæ Teneriffæ, qua inveſtigat naturam Platani, & paſſeris canarii. 54.
*Genius* Inſulæ Teneriffæ miram recenſet fabulam de natura Platani, & paſſeris canarii. 54. 55.
*Nymphæ* ad lunam, qua orat, ut matris ſimul virginisque titulo potiatur. 55.
*Columbi* ad Nympham Teneriffæ Præſidem de magnifico Jani templo. 60.
*Aretiæ* ad Columbum de templo Vaticano, & Romanæ Eccleſiæ potentia. 60. 61. & ſeq.
*Ejusdem* ad eundem de virtute inter honores & divitias illibata. 63.
*Ejusdem* ad eundem, qua ſuam ipſi opem, cæleſtiaque arma offert. 66.
*Ejuſdem ad eundem* de propaganda in exteris regionibus Hiſpana potentia. 68. & ſeq.
*Columbi* cœleſtia arma induentis. 70.
*Aretiæ* ad Columbum, quâ illum inſtruit, quomodo ſocii ope cœleſtis clypei à faſcino Theromantidos liberandi. 70.
*Columbi* de ſociis ſolliciti. 70. 71.
*Aretiæ* de fraudibus Theromantidis veneficæ. f. 71. 72.

## LIBER IV.

*Aretiæ* ad Columbum, qua illi indicat mare Fortunæ navigandum. 72. 73.
*Aretiæ* ad Poëſin, qua promittit, à Columbo ſcientias, bonasque artes in Indiam introducendas. 77.

Ejus-

*Ejusdem* ad Columbum, qua illi Balthei ſui figuras, in quo varia de Indiis, exponit. 81.

*Euphroſines* ad Columbum de cæcitate hominum in mari Fortunæ naufragantium. 83. 84.

*Ejusdem* ad eundem, qua monet, ut ſociis ſuis ſuccurrat. 81.

*Ejusdem* ad eundem, qua ipſi vaticinatur tempeſtatem invidiæ ab æmulis in aula Hiſpana excitandam, ſed detecta Columbi innocentiâ mox iterum ſedandam. 84. 85.

*Columbi* ad eandem poſtquam ſemetipſum videt in mari Fortunæ aliquando naufragium paſſurum, & ob æmulorum invidiam vinculis onuſtum ex India in Hiſpaniam rediturum. 85.

*Sirenis* ad Columbum, qua illum invitat, ut in littus Fortunæ exſcenſionem paret. 86. 87.

*Columbi* cæcitati hominum, ac præſertim ſociorum indolentis, quod ſe vanis Fortunæ Phantaſmatîs excæcari ſinant. 88.

*Ejusdem* ad Theromantidem, qua ab illa ſocios ſuos requirit. 89.

*Theromantidos* ad Columbum, qua illum ad easdem cum ſociis delicias invitat. 90.

*Ejusdem* furentis, poſtquam à Columbo ope Divini clypei phantaſticas Fortunæ voluptates everſas, ſuumque faſcinum ſolutum videt 92.

*Ferdinandi* Filii Columbi ad inventum Patrem, quem flammis montis flammivomi hauſtum exiſtimaverat. 95. 96.

*Columbi* ad Filium & ſocios de illorum reditu gaudentis. 96. 97.

# LIBER V.

*Vaſci* ad Columbum, ut heroici cujusdam facinoris narratione ſociis in itinere tempus fallat. 99.
*Columbi* expugnationem urbis Granatenſis à Ferdinando Quinto Caſtellæ Rege & Iſabella Regina Mauris ereptæ ex ordine cecenſentis. 100. uſque ad finem lib.
*Iſabellæ* Reginæ ad Columbum, qua illi ſpondet naves, quibus Indiam luſtret, ſi priùs in expugnatione Granatenſi ſuæ fortitudinis ſpecimina ediderit. 102.
*Columbi* ad Iſabellam, qua gratias agit ob oblatam claſſem, ſuaque in bello adverſùm Mauros ſtudia offert. 103.
*Iſabellæ* prælio ſeſe accingentis. 105.
*Ejusdem* ſuos adverſùm Mauros ante prælium inſtigantis. 105. 106. 107.
*Alimori* Maurorum Præfecti ſuos ad certamen cum Hiſpanis animantis. 109.
*Amici* amico ſuo etiam in morte ſuccurrentis. 111.
*Mauri* fictis precibus à Columbo vitæ gratiam ſubdolè exorantis, quò commodiùs eum occidat. 114.
*Mauri* Hiſpanum Belliducem increpantis, & genus ſuum ſuperbè jactantis. 115.
*Gonſalvi* Hiſpani Belliducis ad ſuperbas Mauri minas reſponſio. 116.
*Ejusdem* ad Hiſpanos milites, qua eos receptui canere jubet, & edita ingenti ſtrage reliquis Maurorum parcere. 117.
*Arisbæ* Pſyllorum Ducis furioſa adverſùm Hiſpanos inſectatio. 119. 120.

*Ejusdem*

*Ejusdem* navim ſuam Hiſpanis dedentis & filiam ſuam inter Hiſpanas Amazonas agnoſcentis. 122.

## LIBER VI.

*Columbi* ex aſpectu novorum ſyderum novas quoque terras conjectantis. 126. 127.

*Sociorum* Columbi ſeditioſa murmura, & deſperatio de invenienda nova terra. 127.

*Alvari* Hiſpani ſocios im Columbum ſeditiosè inſtigantis. 130.

*Columbi* ad ſeditioſos milites & præſertim Alvarum ſeditionis auctorem. 133.

*Oſci* Armigeri, qua Columbo lamentabilem Filii Ferdinandi caſum exponit. 135. 136.

*Ergaſti* rationem reddentis, cur in mari ſub aquis videantur rudera diverſarum urbium. 138. 139.

*Columbi* à longè novam terram conſpicientis. 139. 140.

*Ejusdem* in novam terram exſcendentis. 140.

*Artemidori* Indi Sacerdotis Hiſpanos Divinis honoribus colere volentis. 142.

*Columbi* ad eundem & Indos, qua illos errorem ſuum dedocet, unumque Deum prædicat. 143.

*Artemidori* ad Columbum, qua illi exſplicat fabulam de Ulyſſe, de quo fama eſt, quod illis in regionibus Berecynthiæ Deorum Matri templum poſuerit. 145.

*Columbi* ad Indos de tumulo Ulyſſis. 146.

## LIBER VII.

*Superſtitionis* furentis, dum à Columbo erectam ſtare in templo Berecynthiæ crucem videt. 148. & ſeq.

*Arvira-*

*Arviragi* Regis ad proceres Cubanos de exorta ſubitò in mari tempeſtate ſolliciti, & oraculum Phœbi exquirentis. 152.
*Vatis* triſte oraculum de immolanda monſtro marino Auria regia filia Arvirago referentis. 152. 153.
*Arviragi* ad inopinatum de filia Neptuno in ſponſam locanda oraculum lamentantis. 154.
*Auriæ* ad patrem, ut pro ſalute publica ſeſe in victimam Neptuno offerre liceat. 155.
*Arviragi* in preces Auriæ conſentientis. 156.
*Columbi* ſeſe ad vindicandam Auriam accingentis. 161.
*Ejusdem* ad Auriam, qua ſeſe illi vindicem adverſùs monſtrum marinum offert. 162.
*Ejusdem* ad SS. Trinitatem, ut illa vires ſubminiſtret, quibus monſtrum avernale tricorpor & in illo Idololatriam jugulet. 163. 164.
*Auriæ* gratias Columbo agentis, quod illam à monſtro marino liberaverit. 166.
*Arviragi*, qua Columbo in prœmium liberatæ filiæ Cubam offert. 168.
*Columbi* ad Regem Arviragum, qua illi Deum unum & trinum prædicat. 169.

## *LIBER VIII.*

*Columbi* ad Arviragum de utilitate navium. 174. 175.
*Arviragi*, qua capere non poteſt, quòd dentur Antipodes. 175.
*Columbi* ad Arviragum de ſitu terræ, & quomodo ob centrum illius poſſibiles ſint Antipodes, explicat item uſum inſtrumentorum nauticorum, ſuumque ex Europa ad Indos iter narrat. 175. 176. & ſequent.

*Auriæ* ad Columbum de tormento bellico. 178.
*Columbi* de tormentorum bellicorum utilitate. 179.
*Ejusdem* ad Arviragum de vino canario. 180.
*Arviragi* prima vice vinum deguſtantis. 181.
*Auriæ* ad Columbum de Uvanæ Indicæ lautitiis, ejusque natura. 182.
*Columbi* de eadem. 183.
*Auriæ* de fructibus Europæis ſaccaro incruſtatis, item de Columbi patria. 183. 184.
*Columbi* ad Auriam de patria ſua, ſitu, potentia, & navalibus commerciis Reipublicæ & civitatis Genuenſis. 184.
*Ejusdem* de fauſto omine, quod ex tonitru colligit. 185.
Baltheumque ſuum ab Aretia illi donatum Indis explicat. ibidem.
*Arviragi* filiæ ſuæ ectypon in Columbi Baltheo obſtupeſcentis. 186.
*Columbi*, qua Arvirago explicat, cur Auria illius filia inter tres orbis partes quarta numeretur, id quod acu phrygia in illius Baltheo pictum. 187. 188.
*Arviragi* hac de re gaudium, quocirca Auriam Columbo in ſponſam offert. 188. 189.
*Columbi* ad Arviragum de inanitate oraculorum, Item modeſtè recuſantis Auriæ connubium, illudque Americo Veſputio vaticinantis. 189. 190.

## *LIBER IX.*

*Superſtitionis* ad vitiorum in inferno congregatorum agmen, ut junctâ operâ invadant Indiam, & introducendis Hiſpanis virtutibus obſiſtant. 194. 195.

*Duelli*

*Duelli* exultantis oblatam ſibi eſſe occaſionem in ludis equeſtribus per Hiſpanos coram Indis celebrandis, artem ſuam etiam in hos populos transfundendi. 199. 200.
*Roderici* adverſarium ſuum Aſtorem ad Duellum provocantis. 204. 205.
*Aſtoris* in Duellum condicentis. 205.
*Arubalis* Henriquezium ad ſingulare certamen provocantis. 205. 206.
*Henriquezii* in Duellum conſentientis. 206.
*Columbi* ſociorum ſuorum duellum compeſcentis. 207.
*Therodomontis* Anthropophagorum Legati, qua Arvirago ſuperbè bellum indicit ob Auriam Alienigenæ Hiſpano deſponſandam. 208.
*Ejusdem* Columbo inſultantis. 209.
*Columbi* pathetica reſponſio. 210.

## *LIBER X.*

*Ferdinandi* ad Alethiam veritatis Præſidem, cur illa ab hominum conſpectu remota degat. 213.
*Alethiæ* àd Ferdinandum de ſinceritate veritatis, de qua fruſtra tot Philoſophi litigant. 214.
*Ejusdem* de origine ventorum. 215.
*Ejusdem* de auro. 215. 216.
- - de perſpiciliis, microſcopiis, tubis Aſtronomicis. 217.
- - item, qua Ferdinandum ulteriùs in myſteriis philoſophicis inſtruit. 218.
- - item de via ad veritatem. 219.
- - de vanitate formæ fœmineæ. 221.
- - de Hypocriſi. 224.
*Ejusdem* ad eundem, ut ſinceræ veritati acquieſcat. 225.

*Duelli* ſub ſpecie Columbi Ferdinandum in ſomno exſtimulantis, ne Alvarum, à quo Columbum occiſum fingit, in India regnare permittat. 226.

*Vaſilindæ* Anthropophagorum Regis ſororis de invento in ſua fovea Ferdinando. 230.

*Eiusdem* ad eundem. 233.

*Ferdinandi* ad eandem de ſuis caſibus & vitæ erroribus, item de Alvari fraudibus, & Columbi Patris ſui, quem ab illo occiſum credit, funeſta cæde. Offert ſuam in bello adverſùm Cubanos & Alvarum Vaſilindæ & illius Fratri Anthropophagorum Regi operam. 234.

*Vaſilindæ* ad eundem, qua miram fabulam recenſet de Phœbo Noctis ſponſalia fruſtrà ambiente. 235. & ſequentibus.

*Phœbi* ad terram Noctis Matrem, qua filiam illius in ſponſam ſuam ambit. 236.

*Terræ* ad eundem de conſenſu filiæ ſuæ ſollicitæ. 237.

*Noctis* ad Terram ſponſalia cum Phœbo recuſantis. 238.

*Vaſilindæ* ad Ferdinandum de cauſa belli Arviragum inter & Anthropophagos. 141.

## LIBER XI.

*Bellonæ* ad Duellum, qua hortatur, ut Regem Anthropophagorum ad bellum cum Arvirago ſtimulet. f. 245.

*Duelli* ad Matrem ſuam Bellonam, qua ſuum oſtendit gaudium ob nova bella Hiſpanis cum Indis naſcentia. 246.

*Regis* Anthropophagorum, qua in Arviragum & Hiſpanos bellum decernit. 247.

Proce-

*Procerum* Regem Anthropophagorum adverſùm Arviragum, & Hiſpanos inſtigantium. 248.
*Duelli* Heliodorum Legatum Arviragi Regis mentiti, ad Regem Anthropophagorum de Auria Hiſpano Conjugi deſtinata. 249. 250. 251.
*Anthropophagorum* Regis furentis ob ereptam ſibi ab Hiſpanis ſponſam. 251. 252.
*Ejusdem* ad Duellum Heliodori formam mentitum. 252.
*Auriæ*, quam in ſomnio ſibi repræſentatam videt Anthropophagorum Rex. 255. 256.
*Regis* Anthropophagorum per ſomnium ad arma magis confirmati. 256.
*Vaſilindæ* ad Fratrem ſuum, qua illi ſuam & præſertim Ferdinandi in bello operam offert. 257.
*Ferdinandi* ad Regem Antropophagorum, qua ſuam illi operam in bello offert. 259.
*Regis* Anthropophagorum ad Ferdinandum, qua oblatam ſibi operam placere oſtendit. 259.
*Ferdinandi* ad Regem Anthropophagorum, qua exponit ſeditionem inter Hiſpanos contra Columbum ſuum Parentem exortam, in qua Pater ab Alvaro occiſus eſſet, qui nunc illius ſpolia & arma gereret, hujus morte ſe dilectiſſimo Parenti parentaturum. 260. 261.
*Anthropophagi* ad Ferdinandum, qua illi operam ſuam placere oſtendit. 262.
*Therodomontis* Legati ad Regem ſuum Anthropophagum, qua inſultat Hiſpanis ob corporis brevitatem. 262. 263.
*Regis* Anthropophagorum ad Therodomontem de Ferdinando. 264.

# LIBER XII.

*Regis* Anthropophagorum, qua Eclypſin ſubitam in cladem Cubanorum interpretatur. 273.
*Columbi* ad Arviragum, qua illi cauſam naturalem Eclypſis explicat. 273. 274.
- - Et errorem de ſole dedocet. ibidem.
*Ejusdem* ad Arviragum, quâ illum ad prælium fortiter capeſſendum animat. 275.
*Cliti* adoleſcentis in prælio lethaliter vulnerati ad Ilum amicum ſuum, ut flavam ſibi cæſariem tonderet, eamque Apollini ſacraret. 277.
*Erceſilæ* mortem Oxidamantis vindicaturi. 279.
*Therodomontis* ſuos in fugam pronos confirmantis. 280. 281.
*Anthropophagorum* Regis Artemidoro, quem telo trajecerat inſultantis. 285.
*Therodomontis* ad Columbum, qua illum laceſſit. 286. 287.
*Columbi* ad Regem Anthropophagorum Auriam invadentem. 288.
*Anthropophagorum* Regis ad Columbum Auriam defendentem. 289.
*Duelli* Armigerum ſeſe ſimulantis ad Ferdinandum, ut Alvaro (quem ille ſub Columbi ſpecie ad mortem depoſcebat) victoriam è manibus eriperet. 291.
*Ferdinandi* Columbum Parentem ad mortem depoſcentis, eò quod in illo Alvarum Parentis ſui interfectorem perſequeretur. 292.
- - Item Vaſilindam adhortantis ut fuga ſibi conſuleret. ibid.
*Vaſilindæ* ad Ferdinandum, qua negat ſe ab illius latere in prælio receſſuram. 293.

Ejusdem

*Ejuſdem* ad Noctem, qua illius auxilium implorat, ut Auriam occidere poſſit. 293. 294.

*Ferdinandi* ad Columbum quem, ignarus Patrem ſuum eſſe, ùt Alvarum imperioſè alloquitur. 295.

*Columbi* ad Ferdinandum ſuum Filium, quem ob colorem nigrum non agnoſcit, ſed Anthropophagum putat. 295.

*Ferdinandi* Parentem ſuum agnoſcentis, quem priùs pro Alvaro habuerat. 297.

*Columbi* Filium ſuum Ferdinandum, quem dudum mortuum putaverat, ex inſperato agnoſcentis. 298.

# ELENCHUS DESCRIPTIONUM.

Numerus folium denotat.


## A.

ACHillis ex equo Trojano ſuis cum militibus erumpentis. 113.
Ejusdem pueri adhuc, ſcutum & galeam præ fœmineis crepundiis prenſantis. 66.
Aciei diſpoſitæ. 271.
Adami productum à Deo ex nihilo orbem admirantis. 69.
Ætnæ. 296.
Ejusdem excandeſcentis. 206.
Africæ. 79. 187. 188.
Agamemnonis ſe ad prælium accingentis. 269.
Agriculturæ. 78.
Alicornis. 172.
Ejusdem in prælio ſeſſorem ſuum defendentis. 287.
Americæ magnam adhuc partem ignotæ. 79.
Ejusdem primùm detectæ. 17.
Amphiarai à terra abſorpti. 212.
AmphitheatriRomani. 17.
Ejusdem deſtructi. 137.
Anthropophagi. 208. 249.
Anthropophagi in prælio cadentis. 290.
Anthropophagorum Genius. 279. 199.
- - Feri mores. 254.
Anguis, & hominis ab eo icti 120.


Anſe-

Anſerum ad imbrem gingrientium. 134.
Arboris Indicæ venenatæ. 268.
Arcæ Noëticæ. 52.
Architectonicæ. 78.
Areæ in qua ludi equeſtres celebrantur. 201.
Ariſtarum vento agitatarum. 248.
Aſiæ. 79. 188.
Aſtronomiæ. 78.
Atlantis. 25.
Avari. 49.
Aurifodinarum. 215.
Auroræ lecti. 170.
Ejusdem nocturnas tenebras fugantis. 29.

B.

Bacchantium & perpotantium. f. 37.
Baccharum in orgiis fortunæ. 33.
Bacchi ebrii. 40.
Ejusdem in tygridem ſe transformantis. 42.
Balthei, quem Columbus à virtutibus accipit. 77. 78.
Belli, ejusdemque exordiorum. 243.
Bellonæ. 243.

C.

Cæſaris Julii commentarios ſuos ab aquis, dum nataret ad ſuorum naves, immunes præſtantis. 115.
Canariæ Inſulæ. 30.
Canarii paſſeris. 57.
Canis in cineribus venenatæ cryptæ, quos Ætna exſpuit, extincti, & quamprimum Agnani ſtagno tingitur: iterum reviviſcentis. 231.
Canis venatici. 125.
Captivi ad libertatem aſpirantis. 127.
Caroli Quinti, & illius victoriarum. 67.
Cauſtici umbonis, quo Archimedes Marcelli naves exuſſit. 25.
Cephennorum de libertate Andromadæ lætantium. 169.
Charitatis. 78.
Ciconiarum. 30.
Claſſis. 103.
Clementiæ. 65.
Clibani, & florum in illo excoctorum. 214.
Clypei, quem Columbus à Virtute accipit, in quo varia

varia de Regibus Hiſpanis. 66. & ſeq.
Clypei uſus ad evitanda hoſtium tela. 119.
Cocolatæ. 233.
Colorum apparentium. 88.
Colubri ſeſe in omnē partem defendentis. 116.
Columbi cum monſtro marino confligentis. 164. & ſeq.
Ejusdem in inveſtigando novo orbe indefeſſa induſtria. 260.
Concilii cœleſtis, & præſidentis in illo Dei. 21.
Conjugum in prælio fides. 283.
Conſtantiæ. 65.
Convivii lauti. 37. 181.
Crepuſculi. 22.
Criſtalli, & gemmarum naſcentium. 216.
Cubæ ejusque portûs. 159. 160.
Cupediarum, & fructuum ſaccaro tinctorum. 183.
Cytharæ percuſſæ. 81.

D.

Deliquii. 228.
Deſponſationis maris Adriatici quot annis Venetiis celebrari ſolitæ. 104. 105.
Digladiantium. 197.
Diſcordiæ per omnes ſuas proprietates. 13. 14. 18.
Diſcordiæ tempeſtatem in mari excitantis. 20.
Duelli in abſtracto ſumpti. 196. 197.
Ejusdem leges. 197.
In Duello confligentium. 205.
Ejusdem amicorum interventu abrupti. 207.

E.

Ebrii. 45.
Eclypſis. 272.
Equi ſuperbè exornati, & generosè incedentis. 172. 173. 202.
Equorum in prælio. 286.
Eorundem in triremibus ſuſpenſorum. 245.
Equitis ſuo cum equo lethaliter vulnerati. 284.
Erydani glacie ſoluta placidiſſimo amne Inſubriæ campos rigantis. 157. 158.
Europæ. 29. 187.

Exer-

Exercituum Barbarè conclamantium. 276.

F.

Fæminarum bellicoſarum. 267.
Fæminarum fallaciſſimarum per exempla. 220.
Fæmineæ formæ. 221.
Ejusdem à ſtibio & ceruſſa emendicatæ. 222.
Famæ. 190.
Famis. 272.
Fecialis. 248.
Ferrifodinæ. 51.
Fidei. 77.
Floſculorum areſcentium. 229.
Fluctus magno impetu in littus illiſi & ſtagnante ibi aquam in mare revehentis. 281.
Fluminis in varios flexus ac Mæandros ſeſe gyrantis. 220.
Fluviorum naſcentium. 214.
Fontis Romani, in quo ſtatuæ quatuor fluminum præcipuorum. 79.
Formicarum. 222.
Fortunæ. 31.
Ejusdem omnibus imperantis. 46.
Ejusdem per fabulam integram. 38. & ſeq.
Foſſorum in aurifodina. 159.
Furentis. 191.

G.

Gemmarum origo. 221.
Genuæ urbis, illiusque portus. 184.
Gigantis in prælio cadentis. 278.
Gigantum, qui viſo Enceladi funere animis conciderunt. 291.
Grandinis. 276.

H.

Helenæ imbellis. 265.
Herculis Cacum in antro ſuo jugulantis. 281.
Ejusdem centaurum trucidantis. 287.
Ejusdem Columnas ſuas ponentis. 9.
Ejusdem Theſeum, Pirithoúmque ex inferno reducentis. 94.
Herois cataphracti. 269.

In medio hoſtium gladio ſuo ſeſe quaquaverſum defendentis. 116.
Milites ſuos conſternatos erigentis. 273.
Generose cũ hoſte confligentis. 289. 290.
In extremo periculo generoſiſſimi. 287.
Hirundinis ad nidum volantis. 94.
Hirundinum. 30.
Hiſpanorum ab Indis genialiter exceptorum. 147.
Honoris ſive ſuperbiæ. 48.
Horti. 75.
- - à grandine devaſtati. 52.
Hortulani hortum ſuum mane intrare non audentis, ne ſtragem noctu à grandine editam lugere debeat. 52.
Hoſtis magno animo ſe ad prælium accingentis. 107.
Hypocriſis, ejusque templi. 224.

I.

Idolorum cultûs profligati. 166.
Indi ſclopetum tractare ignari. 282.
Indorum cultûs. 171.
Eorundem prima Columbo dona offerentium. 142.
Inferni & vitiorum in illo ſtabulantium. 193.
Iſabellæ Reginæ prælio ſeſe accigentis. 105.
Juſtitiæ. 65.

L.

Laboris. 164.
Leonis ab Hannone cicurati. 258. Efferati. 111. Cum eodem luctantis. ibid. In cavea. 127.
Luctatorum in aqua pugnantium. 114.
Ludorum equeſtrium. 201. 202.
Lupi. 210.

M.

Maculatum primogeniarum, quas infantes in materno utero ex Phantaſia Matrum contrahunt. 32.
Magneticæ acûs. 178.

Mila-

Malaciæ. 129.
Mali navalis. 177.
Ejusdem confractæ. 117.
Maris, cui fortuna præſidet. 82. Pacati. 27. Turbati. 19. 20.
Menſæ ſtratæ. 180.
Meſſanenſis portûs proſpectus. 87.
Meſſoris. 286.
Microſcopii. 216.
Militis per tormentorum tonitrua & plumbearum glandium grandinem imperterritè hoſtem invadentis. 281.
Militum ſeditionis veniam rogantium. 134. Veteranorum tyronibus mixtorum. 266.
Milvii. 277.
Monomachiæ in ludis equeſtribus. 203.
Ejusdem inter duos Heröes. 295. 296.
Monſtri. 163.
Monſtrorum marinorum, & variorum piſcium. 19.
Montis flammivomi. 96.
Mortis, & ad illius adventum cohorreſcentis. 154.

N.

Natantis Herois. 115.
Naufragantium in mari fortunæ. 83. 84.
Navis è portu ſolventis. 13.
Ejusdem expugnatæ. 116.
Navium diverſæ formæ, & Nomina. 108.
Earundem tempeſtate laceratarum. 29.
Naumachiæ. 112. 113. 115. 118.
Nautarum ex littore ſolventium. 264.
Eorundem ad terram aſpirantium. 125. 126.
Nauticorum inſtrumentorum uſus. 178.
Noctis ad ortum ſolis evaneſcentis. 238.
Ejusdem quietiſſimæ. 255.
Nili fontem ſuum celantis. 79.
Nubis fulmen parturientis. 129.
Nymphæ in arborem mutatæ. 56.
Nympharum Hiſpanis navibus occurrentium. 98. 99.

## O.

Obſeſſorum in ultimas anguſtias redactorum. 100.
Operarum in navali Veneto laborantium. 64.
Opulentiæ. 47.
Orphei. 99.

## P.

Panthei Romani. 147.
Paridis hæſitantis, cuinam Dearum pomum ſuum tribuat. 48.
Patris filiam ſuam amiſſam recipientis. 122.
Pavonis ignavi. 174.
Perſarum, qui ſub Xerxe tantam telorum vim in hoſtem effuderunt, ut eorum umbrâ ſol fuerit obſcuratus. 276.
Perſpiciliorum. 216.
Phaëtontis. 21.
Ejusdem aulam Phœbi intrantis. 186.
Philoſophicæ nequitiæ. 223.
Piſcium in vivario incluſorum. 88. 89.
Plauſtri feris in venatione ſtratis onerati. 44.
Poculorum varii generis. 180.
Poëſeos. 76.
Politiæ, ejusque domus, in qua variæ fraudes. 219. 220.
Politicæ nequitiæ. 131. 132.
Politicorum hujus ſæculi Genius. 222.
Polyphemi excæcati. 288.
Pompæ feſtivæ. 172.
Populi ex tyrranide liberati. 26. Ad ludos convenientis. 201. In Regem & Reginam ſuam intenti. 105.
Portûs. 184.
Potatorum. 44. 45.
Prælii navalis. 109. & ſeq.
Proſerpinæ flores legentis. 75.
Prothei. 15.
Pſyllorum ſerpentes in hoſtem projicientium. 120.
Pueri pomum præ gemmis eligentis. 180.

## R.

Religiònis. 65.
Roſæ languentis, & aqua refocillatæ. 162.


Ru-

Rupis in caſum pronæ. 227.

## S.

Scopuli marini. 87.
Serpentis in prædam involantis. 40.
Ejusdem à Baccho in vitem mutati. 45.
Solis orientis. 170. Noctem perſequentis. 240. Ex Eclypſi emergentis. 247. Splendidiſſimè exorientis. 237.
Somniantis, rem objectam avidè prenſantis. 227.
Spei. 77.
Speluncæ venenatæ. 28.
Spiritus Sancti ex Patre & Filio procedentis. 24. 25.
Stragis. 281.
Stragis navalis. 112. 113.
Superſtitionis. 148. 149.
Solis per monſtra Zodiaci ſine damno currentis. 47.
Siderati. 153.
Sitis. 126.

## T.

Tauri à canibus Britannicis detenti. 153.
Tempeſtatis marinæ. 19. 20.
Temporis, & illius aulæ. 58. 59.
Terræ in abſtracto. 235.
Terræ motûs poëticè. 293.
Teſtudinis clypeatæ. 113.
Theatri variæ mutationes. 215.
Thetydos Columbi naves excipientis. 137.
Tigris, qui per certum Armeniæ tractum terram ſubit, & occultus meat, tum verò alio in loco majori aquarum impetu rursùm exiſtit. 86.
Tormenti bellici exploſi. 179. Ejusdem ſtrages. 280. Indorum ad ejusdem exploſionem cohorreſcentium. 173. 279.
Torrentis. 207.
Tubi Aſtronomici. 217.
Tybridis aquas ſuas augentis. 268.
Tydei. 268.
Tygridis. 192.

## V.

V.

Vaticani templi cum ſua area, obeliſco, & fontibus. 59. 60.
Vatis ob triſte oraculum conſternati. 152.
Veli nautici. 177.
Venatricis. 39.
Ejusdem prædam ſuam numerantis. 43.
Venetæ urbis de nocte facibus illuſtratæ. 160.
Venti ex parva ſcintilla periculoſum excitantis incendium. 131.
Veritatis, & ejusdem palatii, in quo varia naturæ myſteria. 214. 218. & ſeq.
Viduæ à mariti exequiis redeuntis. 96.
Virginitatis. 65.
Virtutum, & illarum aulæ. 64. 65.
Ulyſſis, ejusque tumuli. 145.
Vociferantis præ iracundiæ. 26.
Voluptatis. 47.
Urbium in monte ſitarum. 218.
Uvanæ Indicæ. 183.

X.

S. Xaverii inter Indorum turbam. 24.

# ELENCHUS
## SIMILITUDINUM
## ET
## COMPARATIONUM.


A.

AMericæ adhuc ignotæ, cum Nilo fontem ſuum celante. 79.
Ejusdem primùm detectæ, cum Amphitheatro Romano. 17.
Amici ſodalem ſuum amiſſum invenientis, cum Hercule Theſeum, Pirthoumque ex inferno reducente. 94.
Anthropophagi in occiſi hominis cadaver involantis, cum milvio. 277.
Avari opes corradentis, cum Tantalo. 49.
Auriæ ex mortis faucibus liberatæ, cum Ariadna, cujus capillitium in cœlum translatum. 201.

B.

Belliducis ſuorum animos jam fractos denuò erigentis, cum fluctu, qui magno impetu in littus illiditur, & ſtagnantem ibi aquam in mare revehit. 281.

C.

Captivi ad libertatem aſpirantis, cum leone in cavea. 127.
Captivorum, quorum miſeriis Tyrannus gaudet, cum piſcibus in vivario incluſis. 88. 89.

Celeritatis, cum Saxo funda excuſſô, & telo. 82.
Claſſis ſuperbè exornatæ, cum Nymphis natantibus. 174.
Cocolatæ potu vires reſtaurantis, cum Antæo, qui attactu terræ ſemper firmior contra Herculem reddebatur. 233.
Columbi ad primum conſpectum Indiæ exultantis, cum Adamo productum à Deo ex nihilo orbem admirante. 69.
Columbi naves ſuas poſt tempeſtatem laceras luſtrare horrentis, cum hortulano hortum ſuum manè intrare non audente, ne ſtragem noctu à grandine editam lugere debeat. 52.
Conjectura, ex bonis initiis lætum finem conjicientis, cum Colono largam ſibi meſſem promittente. 242.
Cubanorum de liberata per Columbum à monſtro marino Regis filia gaudium, cum Cephenois de libertate Andromadæ lætantium. 169.
Cubanorum gaudentium, quod iratum mare ſe in ſuos ſinus receperit, cum Inſubribus, dum vident Erydanum glacie ſoluta placidiſſimo amne ſuos campos rigantem. 157. 158.

D.

Diformitas ingenioſa, cum aquila. 174.
Deliquium, ex eo refocillati aſperſa frigidâ, cum cane in cineribus venenatæ cryptæ, quos Ætna exſpuit, extincto, & quamprimum Agnani ſtagno tingitur, iterum reviviſcente. 231.
Deliquium patientis adoleſcentis, cum floſculis areſcentibus. 229.
Deſiderium amici, cum fidibus percuſſis. 81.
Deſiderium ardentiſſimũ, cum febricitante frigidam flagrantiſſimè ſitiente. 126.
Dubitantis in electione variorum ſibi propoſitorum

torum numerum, cum Paride hæſitante, cuinam Dearum pomum ſuum tribuat. 48.
Dubitantis quam in partem ſe conferre debeat, cum Phaëtonte. 21.

E.

Electionis ſtultæ, cum puero pomũ præ gemmis eligente. 180.
Erubeſcentis modeſtia, cum crepuſculo. 22.
Equitatûs modici ſed validiſſimi cum equo Trojano. 269.
Exercitûs ob mortem Ducis ſui conſternati, cum Gigantibus, qui viſo Enceladi funere animis conciderunt. 291.
Sine Duce cum Polyphemo excæcato. 288.
Variis ſupplementis auĉti, cum Tybride aquas ſuas augente. 268.

F.

Fani à ſuperſtitione purgati, cum Pantheo Romano. 147.
Formæ fragilis, cum vitro. 180.
Pulcherrimæ cum ſole, gemmis &c. 221.
Furentis, cum Tygride. 192.

G.

Gemmarum origo, cum pomo matureſcente. 216.

H.

Herois ad aſpera & mollia prompti, cum Achille. 249.
Adverſarium ſuum in ſingulari certamine proſternentis, cum Hercule Centaurum trucidante. 278.
Arma & ſupellectilem bellicam præ voluptatibus eligentis, cum Achille puero ſcutum, & galeam præ fœmineis crepundiis prenſante. 66.
Ex improviſo in hoſtem irruentis, cum Achille ex equo Trojano ſuis cum militibus erumpente. 113.
In medio hoſtium gladio ſuo

ſuo ſeſe quaquaverſum defendentis, cum Colubri lingua. 116.
In virtute immoti, cum ſcopulo marino. 87.
Natalium ſuorum humilitatem virtute emendantis, cum Nilo fontem ſuum celante. 79.
Se ad prælium accingentis, cum Agamemnone. 269.
Heroum duorum certamen ſingulare, cum Ætna, & grandine. 269.
Horti, cum campo Enneo, in quo Proſerpina, dum flores legeret, à Plutone rapta. 75.

## I.

Invidi adversùs æmulum ſuum conſilia machinantis, cum nube fulmen parturiente. 129.
Iracundiam diſſimulantis, cum ſerpente. 259.
Præ illa neſcientis, quam ſe in partem conferat, cum tauro à canibus Brittannicis detento. 153.
Jubilantium, cum anſeribus ad imbrem gingrientibus. 134.

## L.

Legati belli nuncium ab hoſte reportantis cum Tydeo. 262.
Litigantium, quorum lis amicorum interventu compeſcitur, cum torrente. 207.
Littoris de nocte facibus illuſtrati, cum urbe Veneta, qualis noctu à longè apparere ſolet. 160.
Luctus de amico perdito, cum vidua à mariti exequiis redeunte. 96.
Luxuriæ, cum Medea. 108.

## M.

Machinantis magnum in hoſtem ſuum infortunium, cum nube fulmen parturiente. 129.
Magnificentiam rei cujuspiam admirantis, cum Phaëtonte aulam ſolis intrante. 186.
Militis ab hoſtibus circum-

cumfuſi, & magnam ſtragem edentis, cum meſſore. 286.
Per tormentorum tonitrua, & plumbearum glandium grandinem imperterritè hoſtem invadentis, cum Hercule Cacum in antro ſuo jugulante. 281.
Militum fortium, cum variis Heroibus. 269.
Minantis magnam ſtragem, cum lupo. 210.
Monſtrorum marinorum à Protheo in exitium Hiſpanæ claſſis furere coactorum, & ſedata dein tempeſtate claſſi adulantium, cum populo ex Tyrannide liberato. 26.
Murmuris ſeditioſi, cum ariſtis vento agitatis. 248.
Muſicæ milites ad pugnam animantis, cum cythara Orphei. 99.

N.

Natantis cum Julio Cæſare commentarios ſuos ab aquis, dum nataret ad ſuorum naves, immunes præſtante. 115.
Navium ad commercia facienda utilitas, cum aëre cælum inter & terram medio. 177.
Nautarum poſt diuturnam navigationem ad optatum littus apellentium, cum hirundinibus & ciconiis. 30.
Nauticorum inſtrumentorum, cum partibus humani corporis. 176.
Nympharum ad conſpectum Ferdinandi exhorreſcentium, cum furiis, dum Amphiaraus cum curru & equis à terra abſorptus vivus in inferno deſcendit. 212.

O.

Obſtupeſcentis cum afflato à fulmine. 153.

P.

Parentum cura in filios, & filiorum gaudium ex adventu illorum cum hirundine ad nidum revolante. 94.

Phantaſticarum deliciarum, cum coloribus apparentibus. 88.
Phantaſticarum ſpecierum, cum maculis primogeniis, quas infantes in materno utero ex Phantaſia Matrum contrahunt. 32.
Populi ad inſolitæ rei ſpectaculum confluentis, cum Chartaginenſibus leonem ab Hannóne cicuratum, admirantibus. 258.
Promptiſſimi ad omnia cum cera. 234.

R.

Reſpirantis, cum roſa languente, & aqua refocillata. 162.
Ruderum, cum ruina amphitheatri Romani. 137.

S.

Sylvulæ amœnæ, cum Pſychæis receſſibus, & proſpectu in portum Meſſanenſem. 87.
Sagittariorum tela in hoſtem evibrantium, cum Perſis, qui ſub Xerxe tantam telorum vim in hoſtem effuderunt, ut eorum umbra ſol fuerit obſcuratus. 276.
Seditioſi magnæ ſeditionis authoris, cum vento ex parva ſæpe ſcintilla periculoſum excitante incendium. 131.
Senis irati, cum Ætna excandeſcente. 206.
Sollicitudo in inveſtiganda re aliqua, cum cane venatico. 25.
Eadem cum foſſoribus, qui inventa aurii vena non aquieſcunt, ſed montes perfodiunt integros. 159.

T.

Tori Indici, cum lecto auroræ. 170.

V.

Venatricis, cum Diana. 257.
Venuſti, ſed ignavi hominis cum Pavone. 174.
Vindictam parturientis, cum

cum

cum rupe in caſum prona. 227.

Virtutis malevolorum calumniis preſſæ, ſed non oppreſſæ, cum fluvio Tigri, qui per certum Armeniæ tractum terram ſubit, & occultus meat, tum verò alio in loco majori aquarum impetu rurſum exiſtit, 86.

Ejusdem Mille inter diſcrimina tutæ, cum ſole per monſtra Zodiaci ſine damno currente. 74.

Vitæ humanæ, cum theatro. 215.

Vociferantis præ furore, cum bove Perilli. 247.

Vociferantis præ iracundia, cum Marte à Diomede vulnerato. 26.

Uvanæ Indicæ, cum variis pretioſis piſcibus. 183.

*FINIS.*

H736
C313c